HISTORIA
HROLFI KRAKII

Inter Potentiſſimos in Eth-
nicismo Daniæ Reges
celeberrimi,

Ab avo ejus Halfdano
II. & Patre Helgio, hujusq;
fratre Hroare, ſecundum monumen-
torum Islandicorum manu-
ductionem deducta,

&

A Fabulis, in qvantum fieri potuit,
vindicata,

Cumq; aliis Hiſtoricis, inprimis Saxone
Grammatico, diligenter collata, & mag-
nam partem conciliata.

Cum indice rerum memorabilium

per

THORMODUM TORFÆUM,
S.R.M. Rerum Norvegicarum Hiſtoriographum.

BIBLIOTECA … ROMA

HAVNIÆ,
Apud HIERON: CHRIST: PAULLI
Reg: Univerſit: Bibliopolam, Anno 1715.

APPROBATIO.

Luctantes cum longa nocte Antiqvitates Patrias, & fortia Regis Inclyti facinora, tantùm non oblivione ſepulta, luci reddit Celeberrimus Author, æqviſſimus temporum rerumq; geſtarum Cenſor.

Hafniæ Aõ. 1705. d. 24 Decembr.

P. VINDINGIUS.

ILLUSTRISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS HEROIBUS,

Dn: DITLOVIO WIBE,

DOMINO DE FREYENFELD, ORDINIS DANEBROGICI EQVITI AURATO,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ ET NORVEGIÆ

IN CANCELLARIA DANICA SECRETARIO SUPREMO.

Dn: CHRISTIANO SEHESTED,

DOMINO DE NISLEF ET RAFNHOLT, ORDINIS DANEBROGICI EQVITI AURATO,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ ET NORVEGIÆ,

IN CANCELLARIA GERMANICA SECRETARIO SUPREMO,

&

CONSILIARIO STATUS,

Hanc Hiſtoriam humillime nuncupat

AUTHOR.

ILUL-

ILLUSTRISSIMI DOMINI

Tertius jam labitur annus, ex qvo Seriem Regum Daniæ publici juris factam omnium cenſuræ exhibendam curavi; in præfatione libri occurrendum iis exiſtimans, qvi meeo forte nomine inſectarentur, qvod Saxonis Gramatici, viri doctorum omnium conſenſu eruditiſſimi, hiſtoriam

convulſiſſem, & per conſeqvens vetuſtiſſimas Danorum res dubias reddidiſſem; ingenue profeſſus ſum, nunqvam librum prodiiſſe, qvi Scriptoris iſtius relationes tam valide, qvam memoratus liber, fulciat, qvippe qvi noſtratium & Saxonis, illis penitus ignotam harmoniam, tot locis exhibet, ſimulqve contra Andream Foſſium aliosqve Saxomaſtyges, & inter eos, poſtremo in Anglia exortum, Jacobum Waræ-

um, Antiqvitatum Hiberniæ cap. XXIV, evidenter monſtrat, dictum Scriptorem illa qvæ de antiqviſſimis Daniæ rebus habet, ex proprio cerebro neutiqvam procudiſſe, aut à ſe primitus afficta in lucem emiſiſſe: id vero qvamvis multis exemplis monſtratum ſit, præſens tamen hiſtoria, cum Saxone collata, paullo etiam evidentius probat, qvorum concentum ſeqvens proloqvium uberius monſtrat. Relationum varietas oſten-

ſtendit, unam eandemqve narrationem, ſibi in univerſalibus conſtantem, diverſorum expoſitione, aut excipientium incuriâ, in particularibus corruptam, ad alteram horum perveniſſe: id qvod hiſtoriam magis confirmat, Saxonemqve à levitatis crimine liberat; qvod autem eandem temporibus perſonisqve diſcretam confuderit, imperitiæ congerronis adſcribendum ſtatuo, cujus exemplum Haraldi Hildetanni vita, cura-

tiſſime ab eo literis conſignata, ob oculos ſiſtit, maximam partem cum fragmentis, qvæ ſola apud Islandos hodieq; ſuperſunt, conſona, nec ſine Saxonis excuſatione, cum accepta tantum vulgaverit, diſſona: ex qvibus colligitur qvid de cæteris ejus traditionibus concludi debeat.

Non erat mihi in animo hanc Hiſtoriam ſeparatim conſcribere, cum primum illam auſpicabar, multo minus rebus Danicis citra

ne-

ceſſitatem me immiſcere, cum uberrimam materiam Norvegia ſubjectæqve provinciæ miniſtrarent: Sed cum Seriem Regum Daniæ conſcriberem, profundius qvam neceſſitas exigebat, me horum Regum geſtis immerſi; nec prius ſubſtiti, qvam omnia expoſueram. Tum demum cum animadverterem, modum eam, deſtinati ſibi in dicta Serie loci, excedere, mutavi ſententiam, ſeorſimqve exprimendam curavi, nec forte

indignam, tum qvod regem inter Danici nominis primos, ejusqve fortiſſimos miniſtros celebret, cujus fama omnibus inde ſeculis illuſtris, poſteros in virtutum ejus admirationem incendit, atqve inter hos eximiæ ſanctitatis opinione, in majorum Divûm collegium relatum Olafum Haraldi filium Norvegiæ regem, qvi illum omnibus in paganiſmo regibus ſuo ſuffragio prætulit: tum etiam ob magnam lucem, qvam hiſto-

ſtoriæ Danorum Anglorumqve fæneratur, Frodium enim qvintum, nullibi alias conſpicuum, ſed lacuna poſcente neceſſarium, nobis ſuppeditat, Anglo-Saxonumqve tempora, Danicis Regibus congrua, retexit, inqve utraqve gente utriusqve ſexus inſignes virtutes prædicat, aliaqve lectori obvia.

Hanc igitur cum G. G. V. V. valde velim probari, illam ego veſtro potiſſimum judicio, mox patro-

cinio,

cinio, ſumma cum animi demiſſione ſubjicio, & qvidem tanta fiducia, ut Illuſtriſſimis V. V. G. G. eam qvoq; venerabundus conſecrare non dubitem.

Fruſtra ſim, ſi virtutum V. V. meritorumqve præconia hic decantare aggrediar; qvæ, qvi Solus juſta lance librare noverat, Rex noſter Sapientiſſimus, Auguſtisſimus, tanto honore jam dudum compenſaverat, ut ab aure epiſtolisqve utrumqve conſtituerit, votis civium præfecerit,

rit,

rit, Eqveſtri inſuper dignitate ornaverit, publica omnium veneratione proſeqvendos. Hæc cum omnis laudis inſtar ſint, fæcundisſimis etiam geniis vocem præripiunt. Non igitur in illum campum ulterius exſpatiabor. Privata utriusqve G. G. V. V. erga me beneficia animorumq; propenſionem ſummamqve humanitatem & benevolentiam laudabo, utriq; emolumentum acceptum fero, & T. qvidem Excell: illuſtrisſime VIBE iteratò, qvo nomine cum

compenſationi impar, obligationem agnoſcam, ingenuam hanc de benignitate V. V. confesſionem, fato libri connexam, gratiq; animi V. V. G. G. veneratione fœcundi interpretem, obſidemqve perpetuum, Scriptum præſens benigno animo accipite, patrocinioqve V. V. una cum auctore dignamini. Deus Opt: Max: G.G. V.V. ſalvas & incolumes ad optimi Regis patriæqve diuturnam utilitatem feliciter conſervet.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Prodit tandem Hrolfi Krakii hiſtoria, qvam in Serie Regum Daniæ Lib. III. cap. 6. me in ſtilum Latinum paraphraſticè traduxiſſe teſtatus ſum; verum aliqvanto brevior: magis enim hic Scriptoris, qvem ſecutus ſum, verba expreſſi, reſectis haut paucis qvæ ibi latius deduxi; ne qvi verſionem hanc noſtram cum exemplaribus Islandicis contulerit, jure qveri posſit, nos in ea transferendâ mimiâ licentiâ uſos, plus nobis qvam par erat tribuiſſe. Ad Hiſtoriæ hujus Authorem qvantum attinet, Magiſtrum Gvalterum caput ejus novisſimum illum appellat; nec cujas, aut qvo tempore vixerit, explicat.

Fue-

Fuerit fortè Gvalterus Philippus Caſtellionius poëta, qvi de geſtis Alexandri Magni carmine ſcripſit libros novem, ſeculo XIII, teſte Gerhardo Voſſio Lib. II. de Hiſtor. Lat. pag. 478. qvi in antiqvam lingvam Norvegicam ſolutâ oratione translati, inq; membranâ exarati extant in amici mei Arnæ Magnæi Bibliotheca: qvem qvoq; Georgius Matthias König in Serie Latinorum Auctorum, qvam Lexico ſuo præfixit, nobis exhibet. Carolus autem du Fresne circa ea tempora plures Gvalteros in Nomenclatore Scriptorum mediæ & infimæ ætatis memorat, nec præterit Gvalterum de Caſtellione Scriptorem Alexandreidos. Adduxit qvidem Voſſius ſupra Lib. II. pag. m. 414. alium Gvalterum Hemlingtonum

tonum Anglum, qvem à nonnullis qvinqve libros de geſtis ejusdem Alexandri ſcripſiſſe perhiberi tradit. Eſt & apud noſtrates celebris memoria alterius Magiſtri Gvalteri ad annum 1215, qvi concilio œcumenico Lateranenſi, qvod eodem anno Pontifex Innocentius Tertius celebravit, interfuiſſe, Apparisq; officio functus Langfedgatali traditur, ubi de qvinq; celeberrimis Conciliis orbis agit; qvorum ultimum his verbis deſcribit:
Qvintum, inqvit, concilium in „
diebus Imperatoris Otthonis & „
Pontificis Innocentii in Lateranen- „
ſi palatio celebratum eſt, unâ hye- „
me poſt Patriarchæ Gerhardi cæ- „
dem (is Hieroſolymis Patriarcha- „
tũ geſſit, ut Annales Flateyenſes te- „
ſtantur) in eâ Synodo fuerunt duo, „
Patriarchæ, unus Hieroſolymita- „

„ nus, alter Conſtantinopolitanus, „ & cum illis duo ſupra viginti Ar- „ chiepiſcopi; Epiſcopi duo & vi- „ ginti ſupra qvadringentos, Abba- „ tes & Priores qvatuor & decem ſu- „ pra octingentos, innumerabilis- „ qve aliorum Clericorum Magi- „ ſtrorumq; turba, toto orbe à Pon- „ tifice Innocentio, id nominis Ter- „ tio, ad conventum hunc Romæ „ celebrandum excita. In illo con- „ cilio Mag. Gvalterus Apparis fuit; „ qvi in ſuis faſtis (vel Calendario) „ tradit, cum Dominus in die an- „ nunciationis Mariæ incarnatus eſ- „ ſet, elapſos fuiſſe à primordio mun- „ di 5199 annos: ſed poſtqvam „ Dominus noſter conceptus eſſet „ in annunciatione S. Mariæ, eum „ vixiſſe triginta annos, & tres hye- „ mes (annos) integras; atq; ita in- cipiunt omnes anni â glorioſâ illâ

die

die, cum Angelus Gabriel miſſus „
fuit ad beatam Mariam. Inde ela- „
pſis tribus & triginta annis Domi- „
nus eodem die crucifixus eſt, ad „
ſalutem & redemtionem totius „
humani generis; Jamqve hunc „
calculum fidemqve de ætate Do- „
minicæ manſionis apud nos unus- „
qvisqve Pontificum notavit & ap- „
probavit, omnesq; Romani con- „
ſenſerunt, licet qvidam viri docti „
aliter ſentiant: In hac autem Sy- „
nodo hic calculus communi „
conſenſu receptus eſt; adq; illud „
tempus cum hic Eccleſiaſticorum „
conventus in curiâ Lateranenſi „
agebatur, ab incarnatione Domi- „
ni ſubductus, deprehenſiq; anni „
1215. effluxiſſe. Qvinam fuerit „
hic Gvalterus, exprimere neqveo:
tempora optimè qvadrant in
Walterum Gray; qvem Thomas

Stubs 6. Kal. Maji, Anno 1216. ex Epiſcopo Wigornienſi Archiepiſcopum Eboracenſem factum perhibet: qvi ſi vel maximè in Concilio fuerit, faſtosqve confecerit, nihil tamen inde concludi poterit, an hiſtoriam hanc conſcripſerit. In Daniâ illum, licet peregrinum, fuiſſe Eccleſiaſtico muneri adhibitum, ubi horum, qvæ ſcripſit, notitiam ſibi comparaverit, credere malo. Carolus du Freſne in ſuo Lexico, voce Apparis, multas ſignificationes adducit, minimè improbandas: Si tamen hunc noſtrum legiſſet, cumqve Pontificis Nicolai Epiſtola 16. cujus titulum adducit, contuliſſet; non dubito, qvin caſum tertium pluralis numeri non Epiſtolæ, ſed Senatoribus applicuiſſet: Ita enim hunc locum exhibet. Nicolaus &c. ſingulis

qvi

qvibusdam Senatoribus Conſtantinopoleos, Apparibus. (mox ſubjicit) ubi vox Apparibus non „ ad vocem Senatoribus refertur, „ ſed per receptam haç ætate for- „ mulam additur, ut innuatur uno „ exemplo dictatas & miſſas epiſto- „ las ad diverſos &c. Hæc de Au- „ thore dicta ſunto. Hiſtoriam ip- „ ſam ad Scriptorum Islandicorum claſſis tertiæ partem poſteriorem Seriei Lib. I. cap. I. retulimus; ubi agitur de hiſtoriis, fabulis ita interſperſis, ut ſine magno negotio à verâ narratione diſcerni posſint. Veritatem qvod attinet, illa certè multis argumentis adſtruitur; nemo enim ambigit extitisſe Hrolfum: de tempore inter Islandos & Saxonem, & qvi eum ſecuti ſunt, controvertitur. Pro iſtis generis Series, ab Odino Upſa-

 lino

lino contexta, pugnat, à qvo tramite recto qvartus ſupra decimum deſcendit, uti id ex dictâ Serie lib. III. cap. 1. conſpicuum eſt. Illius errorem ejusdem libri cap. VII. pag. 293. & ſeqq. ad oculum oſtendiſſe videor, qvò lectorem remitto. Res præterea, geſtaqve qvæ in hac noſtrâ hiſtoriâ exponuntur, magnam qvoq; partem ab eo ſtabiliuntur. Nam præter iſtam collationem, qvam ſub finem hujus hiſtoriæ capitis II. inter utrosqve inſtituimus, complura inter eos conveniunt. Utrobiqve Yrſa violento ſtupro concepta, ex patre filium Hrolfum concepiſſe, inde in Adelſis Sveciæ Regis torum conceſſiſſe perhibetur, relicto ad patrem filio Hrolfo; ſordes utrobiq; & avaritia Adelſis, magnificentia & liberalitas Hrolfi celebran-

lebrantur, utrobiq; Biarchii & Hialtii memoria, libatiqve ſangvinis recente feræ vulnere effuſi latices, tum animi tum corporis inuſitati roboris conciliatores, celebrantur: Utrobiqve iter in Sveciam ingensqve æſtus ſuſtinendi experimentum, ſed majore veri ſpecie à Saxone, narratur: utrobiqve egeſtum marſupiis perqve plana camporum ſparſum aurum memoratur: utrobiqve Agneri & Voggi, nec multum diſcrepans, mentio. In exitu vitæ, conſiliisqve Skuldæ explicandis exiguus diſſenſus. Ut varia poëtarum carmina, qvæ Scalda (liber qvi artem poëticam veterum Septemtrionalium ex profeſſo tradit) paſſim exhibet, omittam, unum, idqve incomparabile antiqvitatis monumentum, Biarchamäl, qvod Saxo ad ma-

 nus

nus habuit, metriceqve qvam enucleatiſſimè ad calcem geſtorum reddidit, authoritatem hiſtoriæ abundè tuetur; qvod qvamvis apud Islandos poſtea interciderit, antiqvitus tamen notiſſimum fuiſſe Thormodus Kolbrunarskald monſtrat; qvi id in caſtris S. Olafi clarâ voce cecinit, cum exercitum matutino tempore noviſſimè excitaret: cujus exordium, qvod ſolum habemus reliqvum, cum Saxonis verſione ad amuſſim convenit. Et hæc ad fidem Hiſtoriæ adſtruendam ſuffecerint; qvæ tamen fabulis aliqvot ſcatet; ſed qvæ facile dignoſcuntur: qvamvis nec deſint, qvi qvasdam earum pro veris agnoſcant relationibus.

Primam, caput VII. de monſtroſo Skuldæ ortu exhibet; qvam ex

commiſtione Regis Helgiî cum ſubterraneâ fœminâ editam, mihi neqvaqvam perſvadeo. Sed ut vulgi de his opiniones omittam; unius in Islandiâ, me puero, ſenis presbyteri, Einaris Gudmundi, parœciæ Garpsdalenſis paſtoris, in artibus humanioribus haut perfunctoriè verſati, excerpta qvædam è diſſertatiunculâ, qvam de Saxicolarum naturâ conſcripſit, adſcribam qvos ita definit, Ego opinor „ (ait) & pro certo ſtatuo, popu- „ lum iſtum eſſe creaturas Dei, con- „ ſtantes corpore & ſpiritu rationali, „ in qvo ſunt utriusqxe ſexûs homi- „ nes, viri uxorati, ſobolis procrea- „ tio, omnesqve operationes hu- „ manæ, ut inter nos, uſitatæ; pe- „ cudum & multarum rerum poſ- „ ſeſſio, paupertas & deliciæ, fletus „ & riſus, adeòqve omnes qvalita- „

„ tes ſomni, vigiliarum, ac aliorum
„ affectuum veræ humanæ naturæ
„ competentes: tandem morti ob-
„ noxii ſunt, qvorum vita brevis &
„ longa juxta beneplacitum Dei uni-
„ cuiqve eorum deſtinata. Cum
ad ſobolis procreationem adſtru-
endam aggreditur, hæc addit: Ad-
„ ditur etiam eorum ſangvinis com-
„ miſtio, procreatione ſobolis con-
„ ſpicua: cujus gentis mulieres et-
„ iam ex noſtris conceperunt infan-
„ tes, qvæ ſacro fonte ſuos liberos
„ ablui, & Chriſtianiſmo initiari avi-
„ dè, ſed pleræqve fruſtra, expetive-
„ runt. (Jamqve ad exempla pro-
„ cedit.) Thorkatla Mari uxor Kari
„ Saxicolæ congreſſu gravida facta,
„ filium, Areſum nomine, peperit;
„ ut Ode de illo fatali caſu confectæ
„ teſtantur. In prædio Haga erat
„ olim maritus qvidam ex magna-
tibus,

tibus, Sigvardus cognomento Fo- „
ſtre; hic cum muliere Saxicola „
rem habuit: facta prægnans infan- „
tem peperit, promiſit forte Sigvar- „
dus, ſi infantem ſuſciperet, ba- „
ptiſmate eccleſiæ inſeri ſe curatu- „
rum. Elapſo tempore venit mu- „
lier portans infantem, & in cæ- „
miterii pariete poſitum una cum „
calice deaurato & veſte ſacrâ „
(qvæ munera uſibus divinis pro „
infantis baptiſmo dedicare vole- „
bat) paululum ſeceſſit. Paſtor „
templi, inqviſitione præmiſſâ, in- „
terrogat Sigvardum, an ſe paren- „
tem hujus infantis profiteretur? „
ille negat, veracundiâ forte non „
auſus confiteri veritatem. Inqvi- „
rit herum præco, an baptizandus „
ſit, nec ne? Renuit Sigvardus, ne „
ejusmodi conſenſu parens ſtatue- „
retur. In loco prænominato In- „
fans,

„ ſans intactus ac inbaptizatus relin-
„ qvebatur. Mater irâ commota
„ infantem rapuit unà cum calice,
„ relictâ veſte illâ Sacrâ, cujus frag-
„ menta adhuc viſuntur in Haga.
„ Mulier hæc Sigvardo & poſteris
„ ejus usq; in nonam generationem
„ impoſuit & prædixit ſingulare fla-
„ gellum, qvo plurimi ejus Sangvinis
„ in hunc usq; diem vexati ſunt. An-
„ dreas Gudmundi, à qvo ego (ait
„ idem paſtor) ſeptimus, lineâ de-
„ ſcendente, etiam ab ejusmodi re
„ Venereâ non abſtinuit, qvi qvoq;
„ infantem baptizari reclamabat.
„ Ille cum ſuis poſteris inſigne in-
„ fortunium expertus eſt; in cujus
„ generatione illicitâ cupidine in-
„ cenſi permulti morte multati ſunt;
„ qvidam eorum interceſſione bo-
„ norum virorum vitâ dignati, com-
„ meritas pœnas declinârunt. Hæc
ex

ex pluribus, qvæ de hoc argumento diſſeruit, excerpſiſſe ſuffecerit, ad demonſtrandum hanc de Skuldæ procreatione narrationem nec omninò fide, nec patronis, nec, ſi hæc admittenda ſunt, exemplis deſtitui. Eò inclino, malos dæmones, eos, qvos ſuis laqveis irretierunt, ſibiqve familiaris converſationis ſpecie aſſociârunt, ejusmodi qvoqve præſtigiis dolisqve facile ludere potuiſſe. Cornelius tamen Agrippa (illum enim libentius, utpote qvi harum ſcientiam profitetur, in teſtimonium voco) occultæ philoſophiæ lib. 3. cap. 34. qvosdam homines arcano ſuperum ſemine „ procreatos ſemideos agnoſcit, „ qvos ex Deorum ſive dæmonum „ cum hominibus commiſtione ge- „ nitos putant, ideòqve mediam „ qvandam naturam ſortitos, ut „ qvi

„ qvi nec Angeli nec homines ſint,
„ qvam opinionem etiam ſecutum
„ Lactantium tradit; eſſeqve adhuc
„ hodie qvi commercium & conju-
„ galem commixtionem habeant cum
„ dæmonibus, etiam creditū eſſe ab
„ omnibus, Merlinum Britannum
„ vatem filium fuiſſe dæmonis ex
„ virgine natum. Sed & Platonem,
„ ſapientiæ principem, opinatos fu-
„ iſſe de virginis, Apollinis phantaſ-
„ mate oppreſſæ, partu natum. Et
„ traditum eſſe hiſtoriis, qvaſdam
„ Gothorum (qvas Alrumnas vo-
„ cant) & ſpecie & ingenio ſpecta-
„ biles fæminas, olim Filimiri, ſive
„ (ut alii ajunt) Idanthreſi, Gotho-
„ rum Regis caſtra egreſſas, in Aſia-
„ ticæ Scythiæ ſolitudines trans Me-
„ otides paludes migrâſſe, ibiqve à
„ Faunis & Satyris compreſſas pri-
„ mò Hunnos progenuiſſe: Qvin
etiam

etiam dæmones, authore Pſello, „ nonnunqvam ſemen jacere, ex „ qvo animalcula qvædam orarian- „ tur. Hæc ejus verbis tranſcripſi. Verùm laudatus presbyter Einar in Pſellum eo nomine invehitur, qvod ſubterraneos homines ad claſſem dæmonum retulerit, à qvibus eos longè diverſos exiſtimat, & noſtræ naturæ propiores, ut ex ejus deſcriptione patet; qvod multis forte perſvaſiſſet, ſi monſtraſſet, qvomodo corpora iſtorum, tum etiam jumenta ſupellexqve domeſtica ſuperficie terræ abdita ſuſtineantur; cum etiam iis in locis, ubi eorum domicilia ſubeſſe putantur, ligonibus & foſſoriis inſtrumentis aperta, nullum cavernæ aut culturæ veſtigium unqvam prodiit, & hæc de hoc argumento in præſens dicta ſunto.

Altera ſabula cap. XIII. occurrit, de transformatione Biorni in urſum, & cap. XIX. de lamiâ in feram ſe transfigurante. Cui idem Cornelius Agrippa fidem, ejusdem Operis lib. 1. cap. 45. his verbis conciliare conatur: Res ipſæ, inqvit,
„ atq; homines revera per mutantur,
„ & in varias formas transfiguran-
„ tur ſicut de Proteo, Periclimeno,
„ Acheloo & Metra Eriſichthonis fi-
„ lia narrant poëtæ. Sic Circe ſocios
„ mutavit Ulyſſis, & qvondam in Jo-
„ vis Lycæi ſacris, guſtatis ſacrificio-
„ rum extis, homines in lupos verte-
„ bantur, qvod dicit Plinius accidiſſe
„ cuidam Demarco, putat idem Au-
„ guſtinus, narrat etiam, dum eſſet
„ in Italiâ, accepiſſe, qvasdam fœ-
„ minas, dato viatoribus veneficio
„ in caſeo, eos in jumenta vertiſſe,
„ rurſusq;, cum portâſſent qvæ vo-

luiſſent

luiſſent onera, in homines reſtituiſſe, idqve patri cuidam, Præſtanti nomine, tunc accidiſſe: & ipſæ Sacræ literæ teſtantur, magos Pharaonis mutâſſe virgas ſuas in dracones, & aqvam in ſangvinem, & talia qvædam. Hæc ille. Nos qvoqve plura talium exempla in hiſtoriâ noſtrâ Norvegicâ, lib. de originibus Norvegorum, cap. 19. collegimus. Nec vulgi animis hodie qvidem opinio de transformatione hominum in urſos & lupos apud nos evelli poterit, qvam variis exemplis, nec hodie qvidem inuſitatis, complures adſtruere conantur, ſed in allatis duabus de qvibus nobis ſermo eſt, transformationibus, non eadem ratio mihi videtur. Biornum licet in urſum nunqvam converſum ſtatuam, dæmonem tamen verum urſum ſubſtituiſſe, qvem promiſcuè

inſectabantur, minus dubito; interim ipſi Biorno ejusqve amicæ illuſiſſe, fortemqve imaginationem impresſiſſe, illum in urſum converſum eſſe, verum autem urſum venantium ſagittis necatum; Biornum verò, ubicunqve fuerat, vel ſimul occiſum, vel in loca remotiora translatum, annulo ejus intra cutem urſi translato; nec convivas unqvam carnem Biorni epulatos, ſed verum urſum comediſſe exiſtimo. In lamiâ autem, qvæ ſe in urſum transformâſſe dicitur, nudam tantum allegoriam agnoſco, genus ſcribendi veteribus poëtis adeò uſitatum, ut nihil ſupra: qvi lectorem ludibriorum miraculis exhilarandum ſibi propoſuerunt, res aliàs veras obſcuro & involuto ſchemate exponentes; cujus evidentiſſimum exemplum fabuloſa de Hemingo juvene

traditio exhibet; qvam nos ad calcem hiſtoriæ fortiſſimi Norvegiæ Regis Haraldi Imperioſi ſev Strenui appoſuimus. Natandi enim certamen inter Regem & eum inſtitutum, ejusqve ordinem & eventum cum verbis ſimplicibus author deſcripſiſſet, is qvi idem ligatâ oratione expoſuit, Regem ſe in cetum, Hemingum ſe in piſcem transformâſſe tradidit. Inde fabuloſa hiſtoriis paſſim inſerta qvem ſenſum recipiant, facile colligitur. De qvibus Olaus Petri in ſuo Chronographiæ Svedicæ proœmio magno judicio diſſerit: cujus verba in eâdem de Hemingo fabulâ in Latinam lingvam transtuli, qvæ cum hic pariter ac illic locum habeant, nec ea pigebit adſcribere. Conſpicuum eſt, „ inqvit, majores noſtros Græco- „ rum Romanorumqve morem cir- „

 ca

„ ca fabulas ſecutos fuiſſe; nam
„ cum qvi aliqvid fortiter magnifi-
„ cèqve geſſerunt, id carminibus
„ cantilenisqve celebrârunt, fabulis-
„ qve & reconditi ſensûs verbis ex-
„ ornârunt, qvas Frigdi, ſeu amato-
„ riis & aliis atqve aliis nominibus
„ appellarunt, magnisqve præconiis
„ eos, de qvibus compoſuerunt, ex-
„ tulerunt: Eos enim, qvi imperio-
„ ſos homines, qvi alios violentiæ
„ impetu opprimere ſolebant, de
„ medio ſuſtulerunt, Kemper & Jem-
„ ninger, ɔ: athletas & juris reſtituto-
„ res appellarunt, qvemadmodum
„ Græci ſuos Strenuos & Vegetos
„ viros, qvalis Hercules & plures
„ Heroes: illos verò qvi tyrannidem
„ exercebant, omnes injuriis affici-
„ ebant, ſineqve reſpectu opprime-
„ bant, Jætter, Riſer, Tröll, gigan-
„ tes, coloſſeos homines, & prodi-
gioſo

gioſo incremento monſtrosè au- „
geſcentes, nuncupabant, qvòd ve- „
rò tales tyranni munita loca inco- „
lere conſverunt, ſedes eorum & „
arces Berg, id eſt rupes, ipſos Berg- „
tróll, id eſt rupicolas, feras eorum „
uxores Gygjur; giganteas, aut ſi- „
milibus vocabulis traducebant; id „
qvod veteres odæ de Bernii hiſto- „
riâ aut fabulâ clare monſtrant. „
Cumqve crudeles & immanes ho- „
mines deſcriberent, truces, gran- „
des, monſtroſos, turpes eos fin- „
xerunt, licet ab aliorum homi- „
num formâ non diſcreparent, „
qvos inſuper propter eorum tru- „
culentiam & ſævitiam urſos, ſer- „
pentes, draconesqve commenti „
ſunt. Eos autem qvi tales occide- „
runt, maximis laudibus extulerunt, „
utpote qvi urſos, dracones, & id „
genus monſtra ſuſtulerint, qvod „

„ ſingularibus certaminibus ſev du-
„ ellis fieri conſvevit; inde æterna
„ nominis fama, perpetuaqve ado-
„ rea illos ſecuta eſt. Hæc qvamvis ad feram, de qva nobis ſermo, referri neqveant; arguunt tamen, alas ei & monſtroſum corpus affictum eſſe, ad immanem ferociam & velocitatem exprimendam. Ad monſtroſos Beræ partus, qvos ab offarum vetitarum eſu proveniſſe creditum eſt, qvantum attinet, notiſſimum eſt multas monſtroſas generationes à monſtroſis prægnantium imaginationibus prodire, id qvod omnium temporum experientia docet. De phantaſiæ operationibus Cornelius Agrippa Occult. Philoſ. lib. 1. cap. 64. & ſeqq. multa ſcribit, qvæ & apud rerum naturalium Scriptores ubiqve obvia ſunt. De reliqvis qvæ hîc le-

ctori ſe minus probabunt, qvid ipſe ſentirem, in ipſo hiſtoriæ contextu expoſui.

Illud ſaltem præterite nolo, qvod Johannes Gothus tempore Hroaris (qvi & Saxoni Roe) & Helgii ſive Helgonis, ſtatum Daniæ adeò miſerum deſcripſerit, ut occiſo Rege etiam in Svecorum poteſtatem reciderit, pro eorum arbitrio dirigendus. Occiſo deinde Helgone ad Atislum ſummam imperii devolutam latranti cani, nomine Rachoni, ad ignominiam gentis commiſſam, eoqve à canibus diſcerpto giganti Laës, poſtqve ejus fata ſervo ejus Svio, à pediculis deinde conſumto, tandem ejus fratri Hothero: qvod qvàm ab hac noſtrâ hiſtoriâ diſſentiat, legendi ſine labore obvium; conferentive cum noſtrâ Serie Regum Daniæ etiam abſurdum apparebit; cum nul-

nullus his temporibus Hodbrodo, nullus Hothero locus ſuppetat. Nec Saxoni qvidem noſter adſtipulatur, cum Roem ab Hodbrodo occiſum, ſubjectamqve Svecis Daniam perhibet. Calumniam illam de Rachone Petrus Parvus Roſefontanus in Retorſione adverſus Johannem Gothum pag. 17. abundè refutavit, qvò lectorem remittimus. Carmina, qvæ in hac hiſtoria occurrunt, ex Islandico in Latinum vertit rogatu meo præſtantiſſimus juvenis, Thorleſus Haltorius Islandus. Atqve hæc ſunt, de qvibus Te Candide lector, hic commonefactum volui. Tuum erit, ſi qvæ reprehendenda cenſueris, in bonam partem accipere; nec mihi levitati imputare, qvod ea qvæ ab antiqvitate accepi, ſupprimere noluerim.

Ele

Elenchus Capitum in Præſentem Hiſtoriam.

CAPUT. I.

Frodius Quartus. Ejus filii. Halfdanus à Frodio fratre opprimitur. Filii, Hroar & Helgius latibulis abſconduntur. Hos Frodius, coacto prius in fidem populo, ad necem quærit. Incipit pag. 1.

CAP. II.

Hroar & Helgius ſvaſu Virfilis ad Sævarem ſe conferunt. Nomina mutant. Dementiam ſimulant. Poſt triennium unà cum Sævare ad aulam Regis perveniunt. Convivium & in eo geſta referuntur. Frodius debitas parricidii pœnas luens, cum magno ſuorum numero incendio vitam claudit. Saxonis de his narratio expenditur. Pag. 7.

CAP. III.

Hroar in Angliam transfretat. Augnem Nordrii Regis filiam uxorem du-

cit. Partem Regni ſibi propriam cum fratre permutat. Sævar moritur. Ejus filius Hrokus ſvaſu matris regni trientem poſcit. Repulſam patitur. Ad Hroarem ſe confert. Armillam perdit. Pede truncatur. Hroarem occidit. Regis nomen aſſumit. Ejus pœna. Agnar naſcitur. Ejus elogium. Succincta de his temporibus Diſſertatio. Pag. 29.

CAP. IV.

Helgius Olufam Superbam temere impetit, atq; ab eâ indignè tractatur. Pag. 29.

CAP. V.

Helgius illatam ſibi ignominiam vindicat, & Olufæ Reginæ ſtuprum infert. Pag. 34.

CAP. VI.

Yrſa naſcitur. A matre indignè educatur. A patre rapitur. Ei inſcia nubit. Hrolfum parit. Ab Helgio diſcedit. Adelſi Sveciæ Regi matrimonio jungitur. Pag. 37.

CAP. VII.

Helgius mœrore ab amiſſam conju-
em vexatus, ſolus agit. De monſtro-
Skuldæ ortu narratio. Profectio Hel-
ii in Sveciam. Ejus cædes. Berſerki,
rumq; mores deſcribuntur. Pag. 45.

CAP. VIII.

Svipdagus, ejusq; fratres. Ipſe ad
ulam Adelſis accedit. Cum Berſer-
s confligatur. Eos ſuperat. Pag. 54.

CAP. IX.

Berſerki contra Adelſem exercitum
ovent. Hos Svipdagus acri prælio
ndit. Illi bellum reparant. Svipda-
us cum iis congreditur. Fratres ſuc-
rrunt. Eventus pugnæ. Pag. 62.

CAP. X.

Svipdagus cum fratribus, aulâ A-
lſis relictâ, ad patrem ſe recipit.
olfi Krakii Daniæ Regis elogium.
d eum fratres ſuggeſtu patris ſe con-
unt. Ejus ſatellitio inſeruntur. Pag.

CAP. XI.

Hrolfus legationem in Sveciam pa-rat. Regiam amplificat. Sororium Hiorvardum aſtu ſubjugat. Pag. 73.

XII.

Bodvaris Biarkii genus repetitur. Avi ejus ſecundæ nuptiæ. Regina Hvi-ta privignum Biornum ad inceſtum ſol-licitat, & diris devovet. Pag. 76.

CAP. XIII.

Biornus in urſum transformatu[r]. In gregem patris ſævit. Cum Ber[a] Conſveſcit. Eam futura edocet. A ve-natoribus impetitur. Capitur. Occid[i]-tur. Pag. 83.

CAP. XIV.

Bera ad Urſinum epulum à Regin[a] adigitur. Tres filios parit. Eoru[m] Nomina, forma & fortitudo. Elgfr[o]-dius domeſticæ vitæ impatiens, accep[ta] patrimonii parte, latrocinium exerc[et]. Pag. 89.

CAP. X

CAP. XV.

*Thorer Canipes ad fratrem pergit. Quomodo ab eo acceptus. In Gothi-
am proficiſcitur. Ibi Rex creatur.*
Pag. 94.

XVI.

*Bodvar omiſſam à fratribus ultio-
nem paternæ cædis qveritur. Avum de
e geſtâ certionem facit. De Reginâ
eneficâ vindictam ſumit.* Pag. 98.

CAP. XVII.

*Bodvaris gladius deſcribitur. Ipſe
fratrem Elgfrodum convenit. Cum eo
criter colluctatur. Hauſto ex ſurâ pe-
is ejus ſangvine corroboratur. In Go-
hiam vadit. Ibi loco fratris accipitur.
er ad Regiam Hrolfi meditatur.*
Pag. 103.

CAP. XVIII.

*Bodvar in itinere ab Hotti parenti-
s hoſpitio excipitur. Hrolfi Regis au-
n ingreditur. Hottum liberat. Au-*

licorum unum oſſis jactu interimit Satellitio adſcribitur. Pag. 111.

CAP. XIX.

Bodvar lamiam in feram transfigu ratam occidit. Cujus ſangvine hauſt Hottus repentè viribus auctus inſigni Athleta evadit, virtutis ſpecimen præ ſente Rege edit. Gladium Gullinhia tium præmii loco accipit. Hialtii n men aſſumit. Pag. 119.

CAP. XX.

Berſerkorum inſolentia reprimitu Ordo præcipuorum Athletarum. R Hialtio Generoſi cognomen indit. Bo *var ad expeditionem Svedicam Rege hortatur.* Pag. 127.

CAP. XXI.

Iter Regis in Sveciam. Hranius e & comitatum ejus hoſpitio bis excip Prodigioſo frigore primùm, inde ure ſiti, mox æſtu immodico eos exerc ejus ſvaſu Rex univerſos comites, A

letis exceptis, domum remittit. Pag. 133.

CAP. XXII.

Regis Adelſis aulæ Hrolfus magnâ cum pompâ adeqvitat. Foſſas ipſe & Athletæ ſuperant. Ignem tranſiliunt. Voggus Hrolfo Krakii cognomen indit. Armillam ab eo accipit, Adels hoſpites incendio opprimere ſtatuit. Fruſtratur. Canis Hrolfi cum apro pugnat. Eum ſuperat. Accipiter item ejus Adelſianos vitâ privat. Pag. 140.

CAP. XXIII.

Hrolfo Regina Mater pretioſa munera, & armillam Sviagris dictam, donat. Diſcrimen in campis Fyrenſibus. Hrolfi ſtrategema. Ipſe in Daniam revertitur. Oblatam è ſene armaturam abnuit. In ejus offenſam incurrit. Redux in Regnum bellis abſtinet. Pag. 151.

CAP.

CAP. XXIV.

Skulda maritum Hiorvardum adverſus Hrolfum concitat. Tributorum per triennium immunitatem impetrat. Magorum Veneficarumqve magnam vim congregat. Bellum aſtutè præparat. Pag. 160.

CAP. XXV.

Hiorvardus & *Skulda à* Hrolfo *ſplendido convivio excipiuntur. Eorum inſidiæ deteguntur. Athletarum nomina. Cum* Hiorvardianis *congreſſus Biarkii artes. Skuldæ veneficia.* Hrolfus & Hiorvardus *eorumqve copi mutuâ internecione ſternuntur.* D *Skeggio Midfiordenſi relatio. De gladio Skofnungo, &* Hrolfi *Krakii poſhumâ famâ.* Pag. 163.

CAPUT

CAPUT I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Frodius Qvartus. Ejus Filii. Halfdanus à Frodio Fratre opprimitur. Filii Hroar & Helgius latibulis abſconduntur. Hos Frodius coacto prius in fidem populo, ad necem qverit.

Frodius in ordine Daniæ Regum, ejus Nominis Qvartus, præter Ingialdum Starkadi alumnum (qvem vel ante maturam fratrum ætatem patri ſucceſſiſſe, vel diverſam à ditione eorum Regni partem ſortitum, ex accuratâ antiqvitatum collatione haut obſcurè colligitur; id

qvod nos etiam in Serie Regum Dan: lib. III. cap. VI. monuimus) filios duos reliqvit: Halfdanum nimirum, & Frodium, illo nomine Qvintum. Halfdanus totius Daniæ Rex (ſupremum intelligo) fuiſſe traditur: id qvod Frodius frater æſtro invidiæ ſtimulatus ægerrimè tulit. Atqve eò tandem invidia crevit, ut poſt conſilia de tollendo Halfdano agitata ingenti exercitu ad parricidium, patrandum ignaro talium integerrimo fratre, & omnino imparato, in deum moveret; incendiis, cædibus & rapinis, ditionem ejus fædaret. Halfdanus qvantas ſubita perturbatio permiſerat, copias collegit, ſed fruſtra. Major enim erat impii conaminis progresſus, qvam ut reprimi poſſet. Itaq; nulla difficultate vertitur in fugam manus Halfdaniana: ipſe in ſceleratas fratris manus captus pervenit; & absq; ullo Sangvinis reſpectu impiè occiditur. Tres erant Halfdano liberi: filia natu maxima Signa Comiti Sævari nupſit. Hroar & Helgius, admodum tenelli, apud virum primarium, Divitem agri, potentemq; in Daniâ, nomine Reiginum educati, ipſius

ope-

operâ crudelitatem patrui effugerunt, inq; inſulam qvandam ad ſenem, Nomine Virfilem, miſſi ſunt, virum abſtruſarum artium ſcientiſſimum; qvarum beneficio is ſolus, aut etiam nullus, eos occultare, ſævitiæq; regis ſubducere poſſe putabatur. Fuit autem Vir opulentus, qvi tamen piſcatum exerceret; intimus Regi Halfdano, dum viveret, amicus. At Frodius; qvo regnum ſcelere partum, inviſæq; Dominationis perennitatem ſibi ſtabiliret, metum, aliàs infidum diuturnitatis coſtodem, humanitate comitateq; miſcuit, variisq; blanditiarum illecebris exacerbatos civium animos demulcere, procerum in primis ſtudia in ſe convertere, novisq; delinimentis chari principis memoriam abolere ſatagens, omnes tandem ad fidelitatis obſeqviiq; juramentum adegit; inter qvos ſororius ejus, comes Sævar, præcipuus, magnumqve regni munimentum, affinitatis nexu utriqve pariter devinctus poſtqvam fidem ſemel obligaverat, novandarum rerum ſuſpicione exſolutus, ſecuritatem Regi ſuâ tranſitione confirmabat. Id ſolum timebat,

bat, ne qvando filii fratris adultiores in ultionem experrecti, tantam votis congruam felicitatem plane everterent, ad eos ergo ſedulô inqvirendos animum adjecit. Publicéqve præmia deferentibus voce præconis proponit; occultantes metu pœnarum minisqve terret. Arceſſit et iam undiqve magos, hariolos & perita augurii feminas; qvorum qvæſitu, faci lius è latebris ſuis educi poſſent. Ex ho rum reſponſis cognoſcit, non in continen te pueros, non tamen procul à Regiâ au lâ latere. Id miratus, in omni regni an gulo eos ſe inqviſiviſſe affirmat: eſſe ta men unam inſulam, non longè diſſitam qvam piſcator, nomine Virfill, incolat minime qvidem ſuſpectam; neqve enin illum eò audaciæ proceſſurum, ut inim cos ſuos in conſpectu ſuo, propè ſub ict abſcondat. Eam tamen magi reſpond runt, perpetuâ caligine obſeptam inqv ſitioni ſuæ non patuiſſe: videriqve ſene illum alium, qvàm exterior habitus oſte dat. Svadent itaqve, ut ſedulò eam l ſtrari curet. Nec mora, ablegantur i qviſitores, verùm non, ut crediderun

i

mprovisi, nam mane ejus diei expergi-
us ſenex, genios multos & potentes ad-
ſſe prædicit: jubetqve eo die intra ne-
norum anguſtias abditaqve ſe pueri con-
ineant: qvibus dilapſis qvi miſſi erant
accedebant, domumqve & ædes omnes
perluſtrabant. Re infectâ ad regem re-
deuntes increpati jubentur, ut protinus
eò redeant, priusqvam ulla reditûs eo-
rum ſuſpicio ei ſubeat. Verùm pari ſa-
gacitate iſtud ac antea olfecit ſenex, ite-
rumqve pueros in ſylvam abdidit. O-
nnibus deinde locis ſuſpectioribus, ſene
nihil morante, neqvicqvam perluſtratis
receſſerunt. Rex verò artes ſenis auctori-
ate metuqve ſui eluſurus ſeqventi die, ar-
mato qveſitu inſulam qvam ocyſſimè pe-
vit. Id vero prævidens Virfill multis
ſpiriis imminens iis præſentiſſimum
periculum, dubiumqve eventum cùm in-
caſſet, in ſilvam eos ablegat, ibiqve
abſcondere jubet, donec contentiore
oce ſuos ſe canes, qvorum nomina
opp & Hö in lupos concitantem audi-
t, id ſignum ſubterraneæ cryptæ ſub-
ndæ futurum, ibiqve donec Rex abeat

 ma-

manendum; hanc enim unicam conſulendæ ſalutis in præſens, nec tamen ſatis tutam videri viam, cùm ipſum regem adfuturum prævideat. His præceptis, cum pueri in ſilvam dilapſi eſſent, ipſe ad littus ſe recepit; ubi cum navem Regiam appulſam animadvertit, videre diſſimulans, in greges ſuos oculos à Rege ſemper averſos intendit. Rex eum comprehendi, ſibiq; ſiſti mandat, magnum eum artificem pronuncians, jubet, ut filios Regis in medium producat, probè enim, ubi eſſent, noſſe. Salve, inqvit, ne qvæſo me detineas, ſine modò gregi, qvem jam lupi dilaniant, ſubveniam. Moxqve edito clamore: vos, inqvit Hopp & Hö, gregem, cùm mihi non liceat, liberate. Qvid, ait Rex, clamas? canibus meis reſpondet, hæc Nomina ſunt. Tu autem, Rex, perluſtra omnia, nec tamen hic filios Regis invenies: neqve enim hîc ſunt, neqve ego talis, ut inimicos tuos apud me detineam. Rex ſubdolum eum qvidem eſſe, nec tamen pueris tutum ulterius receptum apud eum futurum, licet ad illud usqve tempus ibi delituerint

meru

iſſe illum capitis ſupplicium. Id verò, reſpondit, in poteſtate ejus futurum, nec poſtea iter ejus in inſulam irritum dici poſſe. Rex contra, ſatis ſibi conſtare, ait, qvod eos occultaverit, nolle tamen pœnam iſtam tam atrocem in præſens exigere, atqve his dictis domum revertit.

CAP. II.

Hroar & Helgius ſvaſu Virfilis ad Sævarem ſe conferunt, nomina mutant, dementiam ſimulant. Poſt triennium una cum Sævare ad aulam Regis perveniunt. Convivium, & in eo geſta referuntur. Frodius debitas parricidii pœnas luens, cum magno ſuorum numero, incendio

 vitam

vitam claudit. Saxonis de his narratio expenditur.

Poſt hæc ſenex cum ultra iis occultandis imparem ſe agnoſceret, ſvadet, ut ad Sororium Comitem Sævarem ſe conferant; magna, ſi viverent, fortunæ incrementa iis diſcedentibus auguratus: Qvi conſiliis obtemperantes, asſumptis peregrinis nominibus (Hranium enim ſe Hroar, Hamum Helgius appellabat;) hic decem, ſed ſtaturâ roboreqve animi & corporis potior; ille duodecim annorum, vili amictu comitem accedunt; ejusqve liberalitate ſuſtentari poſtulant; obnuptâq; pileo facie, qvinam eſſent disſimulant. Ille operis eorum ne alimenta qvidem penſari teſtatus, nihilominus qvantum ad victum reqvireretur iis pariter ac aliis ad tempus patere reſpondit. Probroſum enim magnatibus per univerſum Septentrionem viſum eſt cuiqvam alimenta denegare. Ibi deliris & fatuis ſimillimi tempus aliqvantiſper terebant Cumqve caput nemini aperirent, ſcabi

puru

purulentâ (achoras vocant) laborare exiſtimabantur, ludibrioqve aliis fuerunt; nec unqvam comes qvicqvam de eorum genere ſuſpicabatur. Evoluto ab adventu eorum triennio (qvis credat tanto tempore ſemper velatâ facie, opertis capitibus inceſſiſſe?) Frodius ſplendidum convivium apparabat; eoqꝫ proceres omnes regni, & in his comitem Sævarem invitabat; eum namqve præ cæteris omnibus de puerorum receptu affinitatis jure ſuſpectum habuit. Magno comitatu comes cum Uxore eò proficiſcebatur. Pueri ab eo veniam petebant comitandi, numerum tantum ſuppleturi; ille verò dedecori ſibi duxit, fatuos pompæ tam ſplendidæ miſcere; domi itaq; eos remanere juſſit. Qvi neglecto mandato indomitas eqvuleas conſcendebant. Hamus ſitu inverſo, ad poſteriora ſpectans, caudam fræni loco manu tenebat: Hranius ſitu qvidem recto, tergo inſidens, cum regere effrænem neqviret, ſpectaculum comitatui præbuit. Uterqve tandem deturbatus pileo decidente à ſorore agnoſcitur: qvæ rei novitate, præſentiqve periculo

 per-

perculſa, effusè flere cæpit. Interrogata à Comite cauſam ſubitæ lachrymationis, carmine hoc ſenſu reſpondit:

En Skioldi ſoboles, florida qvæ prius,
Ceu Sylvæ viridis filia nobilis,
Læta & frondiferis luxurians comis
Alto contigerat ſydera vertice:

Jam vexata malis, immemor & ſui,
In ramos ſteriles arida deſiit;
Et fruſtra remanent nomina, cum ſuis
Antiqvis careant dotibus & bonis

Fratres en geminos conſpicio meos,
Hic qvi nuda pigri dorſa premunt eqvi
Sævaris comites dum tamen aureis
Ornati phaleris Cornipedes vehunt.

Comes admiratione defixus ſilentium imperavit, objurgansqve pueros vetuit ulterius pergere, comitatui opprobrio futuros: veritus ne lachrymæ uxori repentè obortæ aliis ſuſpicionem ullam de iis injicerent. Verùm illi incœpto perſiſtebant, ne deprehenſa ſimulatio anſam inqvirendi præberet. Jamqve pedites comitatum ſecuti, cùm ad Regiam perventum eſſet, ultrò citroqve per aulam cur-

curſitabant. Fortè ad ſe delatos Signia ſubmiſsâ voce monuit, ut foris ſibi caverent, eò qvod vires eorum exiguæ eſſent; id qvod illi neglexerunt. Interea Frodius magnificis promiſſis à convivis elicere conatur, ſi qvid de iis certi conſtaret; minis etiam occultantes terret. Aderat inter cæteras, fatidica celebris, nomine Heidis; qvam ut artificio ſuo eos proderet, ſpe magni præmii invitabat; inqve alto ſolio collocavit, ubi artem Seidicam ſeu incantatricem exercuit: ſtatimqve ut ſibi ſignificaret qvid de iis cognoſceret, poſtulabat: neqve enim ſibi dubium, qvin complura ſe ei, dum his ſacris operaretur, manifeſtarent, id enim ſerenitatem vultûs ejus in præſens polliceri. Hæc itaqve hianti rictu, poſt crebras oſcitationes verba modulatur:

Sunt qveis fidendum non ego cenſeo,
Intra palatî limina Regii;
Viri duo, qvorum hic uterqve
Exteriore foco caleſcit.

Rex autem ſubjecit; iſtine adoleſcentes ſunt,

ſunt, an qvi iis ſubſidio venerant? illa eadem venâ fluente reſpondit:

Hos arte longo tempore Virſilis
(Novi,) tenellos inſula nutriit;
Dum nominis qvondam latrantum
Hoppus & Ho tegerentur umbrâ

Eodem momento Signia auream armillam, nemine advertente, in illius gremium projecit. Læta munere tanto relationem invertit; Falſa loqvor, inqvit; omnis enim viſio repentè corrupta eſt. Excandeſcens Rex tormentis veritatem eliciendam minatur, qvandoqvidem conditiones præclaras abnuat; neq; enim certi qvidqvam in tantâ hominum multitudine ex ambagibus ejus concludi poſſe. Sciſcitatur deinde qvî Signia loco exceſſerit? reſponſum; fumi toto triclinio ſparſi è fornace exhalantis impatientem fuiſſe, eaqve propter ſeceſſiſſe. Hic certè locus docet, priſcorum Regum triclinia à cænaculis ruſticorum hodiernorum Norvegorum nihil diſtâſſe. Comes autem Sævar uxorem raptim conſolaturus, ne animum deſpondeat, orat, afful-

ſu-

ſuram qvippe occaſionem fratribus ejus extricandis, modò fatis longior vita debeatur. Interea Rex fatidicam minis fatigans, tormenta enodatione veritatis redimere jubet. Illa majorem in modum oſcitans, non pari ut antea felicitate in Seidica operatione procedebat: tandem hunc in ſenſum modulata eſt:

Halfdanides video: ſedet iſthic ſalvus uterq;;
Helgius hinc, illinc Hroar: uterq; ferox.
En horum auſpiciis occumbet Frodius ipſe,
Ni citò tollantur; qvod mala fata vetant.

Atqve his dictis è ſolio deſcendens, inter gradiendum hæc ſubjunxit:

Exardent oculi: Regum *certiſſima proles*
Hranius atqve Hamus fervida corda gerunt.

Monuitqve dum aulâ exiret, ut ſibi conſulerent, illi metu perculſi fugam capeſſebant, operâ præſertim Reigini nutricii ſui, qvi novitate rei obſtupefactus eos agnovit, luminaqve omnia intra aulam extingvi curavit. Inde certamen ortum; aliis, jubente Rege, eos qværentibus; aliis elabendi viam ſternentibus. Ut autem

tem in propinqvam ſilvam elapſi ſunt, Reiginus fæcundiſſimos calices omnibus miſcuit. Rex qvoqve omnes genio indulgere jubet; brevi tamen conjurationis reos meritas pœnas daturos, haud enim ſe latere, multos conjuratorum adeſſe, qvi eos præſenti periculo eripuerint; nec ab iis ſubitum periculum metuendum, exultantibus in præſens, qvòd è naſſâ, qvâ comprehenſi includebantur, ſubitò evaſerint. Iſtæ minæ, impactumqve promiſcuè crimen etiam eos, qvi inſontes erant moviſſe; reos etiam incitâſſe videtur, ut facinus interficiendi Regis occuparent. Intereâ Reiginus largè illis pocula, fortiſſimâ potione repleta, impigrè promit, donec victi mero, altoqve ſomno ſopiti, humi ſternerentur. Primus deinde in proximam Sylvam, concitato eqvo, evectus, agnitusqve ab adoleſcentibus, dum ad eos propiùs accederet, familiariter ſalutatur, qvi aſpero vultu, iratoqve ſimillimus, ne verbo qvidem eos dignatus, iterum ad aulam digreſſus eſt: id qvod, illi mirabantur, mox eqvo reflexo ad eos tendebat, invaſuroqve ſimilis,

lis, iterum ad aulam curſum direxit; neqve enim verbum ullum excidebat. Hroar qvidnam eſſet qvod nutricius hoc geſtu innuerat, à fratre qvæſivit: juramenti Frodio præſtiti religione teneri videtur, reſpondit Helgius; nobis tamen benè cupiens monet, ut eum ad aulam ſeqvamur; id qvod illi fecerunt. Conſtitit propè Regiam lucus qvidam, eò cùm eos adveniſſe animadvertit, ad eum converſus, hac verborum formulâ animi ſenſum aperit: Qvod ſi, ait, mihi cum Frodio inimicitiæ intercciderent, te procul dubio exſcinderem, nec plura effatus ad aulam rediit. Hroar qvid his verbis ſignificâſſet, fratrem interrogat. Monet, inqvit Helgius, ut exciſo luco faces Regiæ continuò ſubdamus. Qvî iſtud efficiamus, reſpondit, pueri debiles, duo tantum, auxiliis deſtituti? id tamen periclitabimur, reſpondit Helgius: Semel enim audendum erit, ſi inimicum ulciſcamur. Itaqve faſces, qvantas uterqve tergo portare poterat, ad aulam deferebant. Qvo viſo Comes Sævar cum omni comitatu amicorumqve numero aulâ egreſſus, qvin,

qvin, inqvit, ignem augemus, aulæqve parietibus admovemus, adoleſcentibusq; ſuccurrimus? nullo enim nexu Frodio obſtrictus ſum. Omnes pene hac adhortatione animatos in auxilium fratrum traxit. Interea Frodius ſomno excitatus, ſomnium ſuis, licet haud felicia portenturum, expoſiturum tamen ſe affirmat. Audiviſſe enim vocem ſe ſuosqve inclamitantem, dicentemqve: Domum jam cum tuis delatus es; ſe autem reſpondiſſe; Qvonam? ad Helam, ad Helam (Proſerpinæ locô in Septentrione culta eſt) reſponſum iterum reportâſſe: tamqve propinqvum eum, qvi clamavit, viſum, ut excuſſum veſtibus ejus ventulum perſentire videretur; eodemqve momento evigilâſſe. Hæc dum recenſeret, Reiginus in exteriore aulæ parte hæc modulans auditur. Foris Reiginus filiiq; Halfdani verſantur, doloſi ſagittarii: nunciate Frodio Varem clavum cudiſſe, Varem caput ei affixiſſe, Varem firmum durabilemqve clavum elaborâſſe. Hæc eadem nos rudi Minervâ in metrum ita regeſſimus:

Dici

Dicite Frodinis, veſtroqve hæc dicite Regi:
Ante fores Reiginus adeſt, ſedet unus & alter
Filius Halfdani: fortes, peritiqve Sagittæ,
Fallacisq; doli: torqventqve hoſtilia tela.
Var caput effecit clavi, Var cudit eundem:
Var bene durantem cautus ſcit fingere clavum.

Duo erant fabri ferrarii in Regia, uterqve Var nominabatur: **var** etiam vox eſt, qvæ curioſum qvid, cautum, attentumqve & durabile ſignificat. Aulici autem reſpondebant; nihil novi ſi Reiginus foris eſt, aut fabri Regis fabricant, ſive clavos ſive aliud qviddam. Frodius autem reſpondit; non de nihilo Reiginum hæc ceciniſſe; imminens certè periculum hoc logogripho indicatum, perniciem procul dubio omnibus allaturum, aſtuq; velatum, atqve his dictis ad fores acceſſit, omniaqve hoſtibus obſeſſa animadvertit. Qværit itaq; qvinam ignem admoverint? Reſponſum, Halfdani filios. Qvin igitur, reſpondit, paciſcimur, juaqve conſangvinitatis, qvâ par eſt, bſervantiâ colimus; fas enim juraqve

 San-

ſangvinis mutuis inſidiis impiè violantur. Leges præſcribite, pro arbitrio veſtro, ego dictis audiens ero. Helgius contrà; nullam eum fidem mereri; haud enim majore negocio ſe qvam ſuum patrem, ipſiusqve fratrem ſublaturum. Hac ſpe fruſtratus, in occultum, in ancipitis fortunæ eventum excavatum, qvi ab aulâ ad ſylvam proximam ducebat, cuniculum confugit. Verùm cùm ad fores perveniſſet, eas à Reigino cum armatâ manu obſeſſas, exitumqve præcluſum deprehendit, rebus igitur deſperatis in palatium regreſſus, ibi cum magno ſuorum numero combuſtus eſt. Sigridis etiam Principum mater, Halfdani qvondam uxor, cum exitum detrectaret, incenſorum numerum auxit, fortè malè ſibi indigni cujusdam facinoris conſcia. Fratres in regna opesqve omnes patrui ſucceſſerunt. Sævar & Reiginus, reliqvi etiam, pro ſuâ qvisqve conditione, amplis muneribus ornati ſunt. Atqve ita parricidium Frodii, juſto Dei judicio, ipſi & probroſum & exitioſum evaſit. Hic eſt ille Frodius nobis pariter ac Saxoni in ordine

dine nominis qvintus; qvi Eigili Tunnicidæ Sveciæ Regi auxilium tulit: cujus auſpicio Ottar etiam Vendilkraka in Jutiâ occiſus eſt. Frodius enim qvartus centum annis prius in Daniâ, qvam Eigill in Sveciâ regnare cæpit: ſecundùm calculationem noſtram, in Serie regum Dan: traditam; qvæ tamen à Fridthiofianâ, in Hiſtoriâ Norvegicâ aliter computatâ, parùm diſſentit.

Vides, Candide lector, in qvibus hæc axonis relationi in Frothone Qvinto, el diſſentiant vel conſentiant. 1. Pro Ialfdano Frothonis fratre Haraldum ille ıbſtituit, eumqve à fratre ſublatum, nec ıverſis regnis præfuiſſe tradit; id qvod oſtra qvoqve illuſtrat. 2. Loco Hroas & Helgii Haraldum & Halfdanum ſupɔnit. 3. Signiam qvæ ſoror eorum it, matrem fuiſſe tradit; non itaqve noen ejus obliteratum eſt. 4. Pueros ſub num ſpecie enutritos; latrantumqve nomina indita memorat, qvod âdmom ſcitè cum Nominibus Hopp & Hö ıvenit. 5. Qvæ de augurii peritâ fœıâ ad latebræ locum commonſtran-

 dum

dum evocatâ, qvæ muneribus corrupta pupillorum fugam inſcrutabilem referebat, hîc pariter exponuntur. 6. Qvi noſtris Reiginus, Saxoni Regno eſt. Utrobiqve pollicitus memoratur, ſi qvid in patriâ novaretur, ſe Regi indicio delaturum. Utrobiq; pacti memoriâ concitatus noctu regiam petiiſſe, ſeqve promiſſæ rei indicem tacitè aſſeruiſſe monſtratur. 7. Nec in pueris furoris ſimulationem, licet alio ordine traditam, Saxo præterit. 8. De exitu Frodii, incendio conſumpti, inter utrumqve convenit. Cum itaqve Hrolfus Krakius Helgii filius fuerit, qvàm inſcitè ejus Hiſtoria libro Secundo à Saxone exponatur, cuivis inſpicienti obvium eſſe poteſt.

CAP. III.

Hroar in Angliam trans fretat. Augnem Nordri Regis filiam uxorem du cit. Partem Regni fil pr

propriam cum fratre permutat. Sævar moritur. Ejus filius Hrocus ſvaſu matris regni trientem poſcit, repulſam patitur. Ad Hroarem ſe confert. Armillam perdit. Pede truncatur. Hroarem occidit. Regis nomen aſſumit. Ejus pœna. Agnar naſcitur. Ejus elogium. Succincta de his temporibus diſſertatio.

Hroari & Helgio ut diverſa erant ingenia, ita & ſtudia: ille mitis, clemens & affabilis; hic militiæ deditus, piraticam exercebat; ideoqve fratri prælatus. Interjectu temporis Hroar in Angliam tranſfretans, ad Nordrium

um Northumbriæ Regem longo tempore divertit; tandemqve filiam ejus Augnem matrimonio ſibi ſociavit. Aſcitusqve in Regni ſocietatem à ſocero, procul à Daniâ egit. Interea Helgius ſine uxore & liberis ſolus univerſam Daniam, ſuo fratrisqve nomine, adminiſtrabat. Paullò poſt Reiginus deceſſit; non ſine publico omnium luctu, qvod eſſet vir regno Regiqve apprimè utilis, vulgoqve acceptiſſimus. Poſtea Hroar in Daniam navigans partem regni ſibi propriam cum fratre Helgio, inæſtimabilis pretii armillâ, opumqve ingenti cumulo permutavit: qvod ſuis rebus, ut qvi peregrè abeſſet, magis conducere credebat; hisqve onuſtus domum repetivit. Exceſſerat jam Comes Sævar, relictâ uxore viduâ, & filio, nomine Hroco, viro feroci & avaro. Ei mater multa ſuper armillâ illâ pretioſâ, qvam communi poſſeſſione Reges, Hroar & Helgius complecterentur, narravit, majoremqve in modum commendavit; ſvaſitqve ut lati auxilii in aſſerendo illis regno, patruoqve occidendo, præmium, partem aliqvam regni exigeret; ne-

neqve enim patri ejus tantam operam ab iis unqvam repenſam, ſine tamen illius auxilio regno in æternum carituros. Facile erat obſeſſum avaritiâ animum, inqvietumq;, ad ea qvæ ſponte ſecus ferebatur, impellere. Itaqve ad Helgium profectus, aut trientem totius regni, aut etiam armillam illam incomparabilem, neſcius Hroaris factam, petivit. Helgius ei benè excepto reſpondit: meruiſſe qvidem parentes illius, ut illum & ornaret & augeret; id qvod ſe etiam ob intercedentem ſangvinis nexum haut gravatè facturum; ſi modum votis ponere ſciat; verum nullâ ratione trientem eum regni poſcere, qvod periculo vitæ ſuæ, nec ſolo parentum illius auxilio; ſed etiam Reigini nutritii ſui, pluriumqve paternorum amicorum, regniqve magnatum, qvibus inviſa tyranni dominatio fuiſſet, qvæſiverit: armillam verò jam non eſſe in ſuâ poteſtate; qvam frater Hroar ſolus poſſideat, haut eqvidem impetrabilem. His auditis Hrokus perturbatus domum rediit. Exiguâ morâ interjectâ in Nor-

 thum-

thumbriam ad Hroarem navigans, propenſo animo exceptus eſt; ubi ad aliqvod tempus benè habitus permanſit. Forte littora ſinusqve navigiis luſtrando ſe oblectabant, cum Hrocus ut armillam ſibi donaret poſtulabat. Hroar pluris conſtitiſſe ait, qvam ut donari poſſit. Videndi igitur copiam petebat. Qvi qvâ factâ, cum eam manu teneret, ſubito invidiæ æſtro percitus, jâctu qvam longiſſimo in mare projecit; juſtum aſſerens ut neuter potiretur. Hroar ferociam juvenis miratus, nec inultam paſſus, truncatum altero pede domum remiſit. Qvi ut convaluit, collecto exercitu, claſſe in Northumbriam profectus, avunculum in villâ qvâdam epulantem, de improviſo oppreſſit, occiditqve; totamqve ditionem ſibi ſubjecit: & ne qvid ad fortunæ cumulum deeſſet, Regium etiam Nomen aſſumpſit: qvôqve utrumqve ſibi in poſterum confirmaret, Augnis avuncunculi uxoris nuptias petivit; cujus pater Nordrius; qvanqvam ad reſiſtendum reprimendumq; ferocis juvenis impetum impar ſibi vide-

videretur, honeſtius tamen duxit mortem pugnando fortiter oppetere, qvam cumulatum ſcelere ſcelus approbare. Verùm filia paternæ conditionis miſerta, deqve ſalute ejus ſollicita, qvandoqvidem viribus non poſſet, arte impetum juvenis infringendum rata, nuptias qvidem non abnuit. Cum verò gravida eſſet, pactis induciis, qvoad partu levata honeſtè ei & ex dignitate jungi poſſet; ſtatim ad levirum in Daniam legatos mittit; qvi omnem geſtorum ſeriem ordine panderent, anguſtiasqve, qvibus premeretur, exponerent. Qvo cognito, collaudatâ Reginæ caſtitate, prudentiâ, & in maritum invicti amoris conſtantiâ, ſe qvidem ſuccurſurum, cædemq; fraternam vindicaturum promittit. Legatis hoc modo dimiſſis, copiis qvam maximis collectis, in Angliam transfretat, collatisqve ſignis cum Hroko dimicat; victorqve vivum in poteſtatem redegit: Supplicium mortis ſcelus æqvare negabat; amaram vitam & probroſam graviorem ratus, crura manusqve ei perfringi juſſit, atqve ita affectum in patriam remiſit.

Ante adventum Regis Augn filium enixa Agnarem appellavit: hic formâ, habitu corporîs animiqve, virium etiam præſtantiâ annos prævertit; ut duodecennis etiam præſtantes viros ſuperaret: bella plurima geſſit, proſperâ uſus fortunâ; tantamqve nominis famam reliqvit, ut priſca documenta paſſim ejus mentionem faciant. Fateor qvidem ſæpius Agnaris nomen Antiqvitates à præclaris geſtis commendare: qvid tamen ex iis huic tribuendum ſit, nusqvam obſervavi: præter illud qvod auctor hic tradit, qvod accuratè inqviſiverit ſinum locumqve ubi armillam Hrokus projecerat; qvam multi variis artibus expiſcari, ſed fruſtra, conati ſint; is verò tertiâ vice urinando extraxerit; unde nominis illius gloria tantoperè aucta eſt, ut patre qvoqve major haberetur. Horum pars circa prima Anglo-Saxonum tempora, regniqve Heingeſti in Cantio occupati, contigiſſe videntur; anteqvam Northumbria in heptarchiæ partem redacta eſt; pars qvoqve qvæ Agnarem attinet, ad poſteriora tempora referenda. In primo Northumbriæ

Rege

Rege Bromton & Polydorus Virgilius diſſentiunt; ab utroqve qvoqve Series Regum Angliæ ad calcem editionis Lugdunenſis Anno 1651 excuſa. Bromton pag. 779. primum provinciæ iſtius Regem Occam Heingeſti filium recenſet, non indicato anno, qvo regnare auſpicatus eſt; Oſcam Polydorus lib. III. p. 72. & Otham Heingeſti filios facit, mortuos Anno 492, pag. 81. Si igitur Oſca Northumbrorum Rex fuit, Hroari & Helgio Synchronus vixit: Sin verò dictam Seriem ſeqvemur, qvæ Bedæ Authoritate nititur, Northumbrorum Regnum ab Ida initium cæpit, ad annum 547. ex calculatione Polydori pag. 191, ad calculum reductâ 537. Hinc perſpicuum, illud ante heptarchiæ tempora proprios Reges habuiſſe, Nordrium nimirum & Hroarem, forte & alios nobis ignotos. Cumqve tam potens Rex atqve erat Helgius Angliam claſſe peteret, credibile eſt, eum iſtorum temporum occaſionem in ſuos uſus vertiſſe, civibusqve ſuis Jutis & Holſatis ſeu Nordalbingis, qvorum regio, teſte Beda, Athelvardo & Malmesburenſi, uno nomine

An.

Anglia dicta, ſubveniſſe, plures provincias acqviſiviſſe, iisqve præfectos, vel Regum, pro more ſeculi, vel etiam Comitum titulo claros, eodem teſte, ſed fiduciarios, impoſuiſſe; id qvod ſubſecuta tempora docent: nam Halfdanus Diſertus, Ivar Vidſadmius, Haraldus Hildetann, Sigurdus Hringus, Ragnar Lodbroch & filii ejus, ad ditiones ſuas in Angliâ vindicandas, multas expeditiones ſuſceperunt, ſive dum præfecti deficerent, vel hoſtium viribus ſuccumberent, vel iis ad reſiſtendum imbelliores eſſent, idqve à primis propè Anglo-Saxonum initiis, qvæ, paucis annis exceptis, cum regnorum Hroaris & Helgii initiis, ſecundum noſtrum calculum, concurrunt: Heingeſtum enim laudata Series Cantii Regem, Anno 455. Anno autem 488. bello cæſum memorat. Hroaris & Helgii regni Danici exordia ad annum 460. in Serie Regum Daniæ retulimus. Continuò autem curſu, formicarum ritu, è patriâ Anglo-Saxones ad eos conceſſiſſe Polydorus tradit. Ex provinciis itaqve Daniæ regno Helgioqve ſubjectis, agmina-

ti-

tim in Britanniam confluxerunt: inde facile colligitur, auſpicio Daniæ Regum, certè auxiliis, eos pugnâſſe, ipſisqve provincias vindicâſſe. Hanc noſtram opinionem ipſe Saxo, (modo hîc fidem merentur) non leviter confirmat, qvi Hiſtoriæ ſuæ Lib. II. pag. m. 28, tradit, hunc eundem Helgonem Jutiam Saxonibus eripuiſſe, & apud Saxoniam ingenui ac liberti necem pari ſummâ rependendam conſtituiſſe, perinde ac liqvidò conſtare voluiſſet, qvod cunctas Theutonum familias æqva ſervitus teneret, omniumqve corrupta libertas parem conditionis ignominiam redoleret. Hic licet Saxo tempora perſonasqve confuderit, uti id in Serie Regum Daniæ Lib. III. cap. 6. & alibi, monſtratum eſt; nihil tamen impedit, qvin vera de ſubjectâ Helgio Saxoniâ prodiderit.

CAP. IV.

Helgius Oluſam Superbam teme-

temerè impetit; atqve ab eà indignè tractatur.

Poſt hæc Helgius, auditâ Saxoniæ Reginæ Oluſæ ſuperbiâ, qvod formâ qvidem ſpecioſiſſima, verùm in Regum morem transgreſſa viriles veſtes armaqve geſtans, multis expetita procis, omnium Principum nuptias faſtidiret; ejus potiundæ cupidus claſſem eò direxit; miſitqve ad eam legatos qvi dicerent; velle ſe cum comitibus hoſpitio ab eâ excipi. Qvæ cum tam improviſo hoſpiti armis depellendo imparem ſe animadverteret, ad epulas eum qvàm honorificentiſſimè invitavit. Exinde epulæ conqviſitiſſimæ menſis appoſitæ. Regi in ſolio ſedenti Regina aſſidet, vultu ad blanditias modeſtas hilaritatemqve compoſito, jocis eum & facetiis exhilarando, magnis crebrisqve poculis invitabat. Qvi tandem temulentior, eſſe ſibi in animo ait, feſtivitatem hanc in nuptialem convertere; ſatis adeſſe convivarum, nec plures reqviri. Regina nullas indignationis notas verbis

vel

el vultu præferens, ſaltem petiit, ne tam
roperè rem tantam aggrederetur; invi-
andos amicos ſuos & conſangvineos.
Adhæc ille: meruiſſe illam ſuperbiâ &
lariſſimorum virorum contemtu, ne nu-
ptiæ illius majore cum pompâ celebren-
ur: hac igitur nocte ſe faſtum illius re-
preſſurum, pertinaciamqve virginitatis
perpetuandæ domiturum. Regina ubi
Regem tam obſtinato animo eſſe animad-
vertit, blando ſermone reſpondit: Non
alium ſe maritum, ſi à virginitate rece-
dendum eſſet, præ tanto heroe electu-
ram; neqve enim ab eo aliud qvam qvod
us fasqve ſvaderent expectare. Verùm
nunqvam in animum inducere potuiſſe,
ſine regali dignâ tantis faſtigiis pompâ
& ſolennitate, nuptiorum feſtivitatem
celebraturum. qvod ſi precibus ſe exo-
rari non patiatur; ut in commodius tem-
pus differat; ſe in poteſtate ejus futuram.
His verbis exhilarato Rege, ingenti læti-
tiâ totum palatium perſonabat. Dupli-
cantur pocula, potaturqve ſtrenuè; Rege
jam ſponſo exemplo ſuo convivas omnes
invitante: qvi tandem valdè ebrius ad
tha-

thalamum Reginæ ſponſæ, ibidem ad votum & imperium Regis recubantis, deductus, ut primum lecto exceptus eſt, arcto à nimiâ potione opprimitur ſomno, confeſtim Regina metu pudicitiæ violandæ liberata ſomno illum fortiore, notâ id temporis arte, (qvod priſcâ Danicâ lingvâ dicebatur *ad ſtinga ſvefnþorn*, modernâ at kaſte Søfnepryn paa een) ſopivit. Comâ deinde abrasâ, caput pice illinitum, pelliceo deinde culeo, veſtibus ſubducto, involutum ad naves deferri juſſit. Hinc ſatellites regis excitari, ejusqve nomine mandari fecit, ut qvam citiſſimè ſe ad naves reciperent: Regem namqve præceſſiſſe, ſecundis ventis flantibus ocyus inde diſceſſurum. Illi haut ſecus ac imperatum erat, faciunt; itaqve ad naves properant: ubi cum Rex, contra ſpem eorum, non compareret, de ſalute illius valdè ſolliciti eſſe cæperunt. Dum hæc animis volvunt, ſaccum ingentem propè jacentem conſpiciunt: qvo aperto, cum Regem ſopitum illic agnoſcerent, velut attoniti obſtupuerunt: cumqve eum ſomno oppreſſum huc illuc moVent

[illegible]it, decidit è capite ſoporifera acus; [illegible] capillis dormientis excuſſâ Rex evi[illegible]vit. Excitati hoc modo Regis ingens [illegible] ſimul & vindictæ repentinæ cupido [illegible]m exſtimulabat. Verùm qvantò [illegible] ultionem arſit, eò viam difficilio[illegible] eam, illo tempore ſumendam de[illegible]dit: nam tubarum lituorumqve [illegible] omnia in circuitu perſonabant. Et [illegible] Regina, ſive ad primum legatorum [illegible]um, convivium magis imperioſè [illegible]antium, qvàm amicè expetentium; [illegible] poſtqvam Rex temulentus ignomini[illegible] nuptiarum mentionem fecerat, ex viciniâ copias tantas tam ſubitò col[illegible], ut omnes vias conatibus ſuis ad [illegible]am perſeqvendam præcluſas Rex adverteret. In Regnum igitur ven[illegible]undis, ſed ignominiâ plenus, irâ[illegible]rendens navigavit; dilaturus, in qvam [illegible]us erat, ultionem in occaſionis [illegible]rtunitatem. Regina de tanto facino[illegible] [illegible]jorem in modum triumphans, in [illegible] magis magisqve intumuit; nec in [illegible]um unqvam faſtus ejus & ſuperbia [illegible] creverat. Ne verò Regis, vindi-

ctam ardentis, armatæ libidini injuriisqve obnoxia foret, valido militum præſidio corpus ſuum vallavit. Fama verò tanti ludibrii ocius per omnes circumjacentes regiones pervolans, vix fidem invenit, tantâ potentia, tam ingenti ſpiritu, belloqve clarum Regem à fæminâ tam turpiter deludi potuiſſe.

CAP. V.

Helgius illatam ſibi ignominiam vindicat; & Oluſœ Reginæ ſtuprum infert.

Tempore haut ita longo interjecto, oris Saxoniæ Rex Helgius claſſe advectus, navibus in receſſu qvodam abditis, ſolus in terram exſpatiatur, ſociis nauticis triduum exſpectare, ni interea rediret patriam petere, juſſis. In ſaltum qvendam, non procul ab aulâ, argento auroqve plenas arcas duas deportari curavit, ibiqve celari: humilem ipſe veſtem

em obſoletamqve indutus ad regiam ſe
onfert; ubi in ſervum qvemdam, Regi-
æ præter cæteros familiarem, incidit.
ermone deinde ultrò citroq; habito, ab eo
ogatus qvisnam eſſet? mendicum pro-
eſſus eſt, non tamen adeò egenum; ſibi
nim magnam & inſperatam, invento in
lvâ theſauro, fortunam nuper affulſiſſe:
vam ne in infortunium vertat, viſum ſibi
l Reginam deferre, qvæ jure ſibi vendi-
t flaviſſas abſconditas, ſe tantum inde de-
rpturum, qvantum illa permittat; cer
ſcire futurum, ne ſe fortunæ ſuæ aut
tecti theſauri pæniteat: ad relationis
æ veritatem explorandam ut ſecum in
lvam digrederetur, depoſcebat: ubi
tenſis arcis, & qvid iis contineretur,
ntam fælicitatem admirante ſervo, in-
rrogat, an etiam auri cupida eſſet Reg-
a? ubi illam etiam ultra ſexum inex-
ebilem accepit, rogat ut ad inſpiciendas
es, nullo omninô labore partas, Deo-
m certiſſimum donum, ſolam illuc, ne
palam fiat, deducat, aureoqve annulo
monili donatum, ut id in ſe recipiat,
pellit; pollicitus inſuper ſe effecturum

ut ſi in ipſius offenſam eapropter incurrat, nil periculi ei inde metuendum ſit. Servus mercede corruptus lætus & alacris domum redit, aperitqve Reginæ, in ſilvâ qvâdam auri argentiqve vim ingentem ſibi inventam; ſi libeat inviſere, paratum eò deducere. Ad hæc Regina reſpondit: veritatem hujus relationis magna mercede; falſitatem impendio capitis conſtare ſcito. Verùm qvod te expertæ fidei ſervum novi, verbis tuis fidem habeo. Ne verò cuiqvam innoteſcat, differendum in noctem iter eſt, ad tantæ rei inſpectionem. Sub noctem Regina, cupidine gazæ exſtimulata, ſolo ſervo comitata ſaltum intrans, theſaurum qvidem, ſed ſimul Dominum ejus deprehendit. Qvi oportunam ratus occaſionem illatæ ſibi injuriæ ignominiæqve ulciſcendæ, Reginam arripit, ibi illa fateri injuriam, Regemqve ut ſe in matrimonium honeſte reciperet, orare cæpit. Qvo poſtulato nil motus Rex, eam ad naves deduxit, ac per complures dies ſecum detinuit; Tandemqve expletâ libidine; ignominiâ, avaritiæ mercede, plenam in terram exponi

cura

:uravit: ipſa irâ, angori permiſtâ, frendens, domum prægnans rediit; qvod tamen ſummo ſtudio occultavit, nec niſi familiariſſimis, qvibus rem aperire neceſſe erat, qvæ geſta fuere revelavit.

CAP. VI.

Yrſa naſcitur, à matre indignè educatur, à Patre rapitur. Ei inſcia nubit. Hrolfum parit, ab Helgio diſcedit. Adelſi Sveciæ Regi matrimonio jungitur.

Itaqve Règina, poſtqvam tempore ad fætus maturitatem neceſſario uterum clam geſtâſſet, virginem venuſtiſſimam peperit; in qvam recens natam conceptum in patrem odium convertit, auſpicata à nomine qvod canibus proprium, & in eorum genere uni ex ſuis; ho-

minibus verò contemtum & inuſitatum ipſi communicare placuit, Yrſam vocando; ut vel nomen ſolum audientibus ludibrio eſſet. Sed nec educatio minus probroſa fuit: nam vix cunis egreſſa, infimæ ſortis hominum filia fingebatur; atqve à politiorum hominum, fœminarum præſertim conſortio, muliebribusqve artibus addiſcendis arcebatur; ne ingenii forte in aſſeqvendo deexteritas, admirabili formæ conjuncta, ſuſpicionem generis ullam, materiamqve inqviſitionis præberet. Duodecem annos nata, ad ſervile paſcendi gregis miniſterium adhibebatur. Et annum integrum iſto munere functa erat, cum forte notis littoribus prædatoriam claſſem Helgius pater advertit, ac deſiderio ſtatus conditionisqve Reginæ cognoſcendæ, ſolus, obſoletâ veſte ſenem mendicum ſimulans, in terram aſcendit. Ibi deprehenſam eximiæ formæ puellam qvalem antea nunqvam conſpexiſſe ſibi viſus eſt, gregis cuſtodiæ præfectam, captus venuſtate formæ, qvibus eſſet orta parentibus interrogat? Pauperibus i

vic

viciniâ parentibus ortam ſe profeſſæ, reſpondit: genus haut ſervile ex oculis ejus facile dignoſci; intereà convenire ut pauper pauperem ducat. Mox ad claſſem nequicqvam deprecantem deduxit, cæpitqve intentius adamare; inqve regnum redux nuptiali convivio celebrato, in uxorem aſcivit; atqve ex eâ filium, nomine Hrolfum, Krakium poſtea dictum, Daniæ Regem celeberrimum, ſuſcepit. At Regina cognito filiam clam omnibus avectam, ſimulqve qvod Rex Daniæ Helgius Reginam admodum tenellæ ætatis, ejusdem nominis, duxerit, rata id qvod erat, inceſtas inter illos nuptias eſſe contractas, ad eas diſſolvendas animum intendit, maximè qvod illos mutuo amore enixè ſeſe diligere comperit. Verum differendum rata, donec conjugalis amor magis magisqve in dies provectus, vel prole auctus, ad ſummum perveniſſet, quo major amantibus à divortio ægritudo accreſceret. Poſt aliqvod temporis intervallum, ubi ſobole auctos novit, in Daniam profecta legatos ad Reginam Yrſam, qui de adventu ſuo certiorem eam facerent,

rent, præmiſit. Hæc ſtatim Regali pompâ obviam ei procedit, atqve ad aulam benignè invitavit. Reſpondit Oluſa: nulla inter Helgium ipſius maritum & ſe amicitiæ fædera intercedere, qvibus allecta ad eum ſalutandum tam longinqvum iter ſuſceperit; longè graviorem cauſam ſubeſſe, qvam reticere piaculum duxerit; ſimulqve interrogat, ut præſens matrimonium placeat? Optimè, reſpondit Yrſa; nec aliter eſſe poteſt, cum celeberrimi nominis, magnæ potentiæ, ingentisqve virtutis, opulentiæ & gloriæ maritum habeam. Neutiqvam, regeſſit Regina, de marito tibi tantoperè gratulareris, niſi eorum qvæ in hac re geſta ſunt, ignara eſſes. Etenim conjugium inter Helgium & te contractum, patrem in propriæ filiæ amplexus commiſit; cujus rei certius teſtimonium me ipsâ perhibere nullus poteſt. Ille namqve poſtqvam convivio exceptus vim mihi in propriâ aula intentatam inferre neqvivit; domo deceptam rapuit ſtuprumqve intulit, unde tu prognata. Hæc ſunt qvæ te celere nefas duxi, qvam ociſſimè impiæ, Diis immortalibus

in-

inviſæ, humano generi deteſtabili, tibiqve ipſi extremè probroſæ ſocietati cum Helgio renunciare, atqve à tam nefario congreſſu cum illo abſtinere diſcas; neqve enim fas eſt illi poſt tantæ conſangvinitatis notitiam commiſceri, cujus in hunc usqve diem facti culpam ſola ignorantia diminuere poteſt. Regina Yrſa adhæc obſtupeſcens, ubi ad ſe rediit, ſerò qvidem, inqvit, ſtemmatis mei originem, regibus ſata, te tamen matre impiiſſimâ, crudeliſſimâ, iniqviſſimâ nata, agnoſco; ut qvæ propriam prolem ab aulâ ad haras & ovilia, inauditâ crudelitate relegaveris, probroſum nomen indideris, ac deniqve conjugii vitium tantiſper ſciens reticueris, donec conjugalis amor & affectus etiam procreatione ſobolis auctus eò creverit, ut absqve ſummo mærore divelli neqveamus, qvo triſtiorem orbitatem faceres. Omnia hæc, ait mater, ex odio Helgii profluxerunt, cujus te innocentem participem ſummâ cum injuriâ factam eſſe fateor. Nunc autem ſi relicto Helgio mecum abire velis, omnia maternæ pie-

 tatis

tatis officia experieris, præteritiqve temporis odium amore, contemtum honoribus cumulatius repenſum deprehendes. His dictis Yrſa à matre digreſſa domum rediit, omnemqve tragædiæ ſeriem Regi expoſuit; addens generis notitiam obſtare, qvo minus in poſterum cohabitare liceat. Ille immenſam matris illius crudelitatem execratus, nuptias ne reſcinderet, oravit. Illa inceſtum peroſa conjugium, in propoſito perſtitit, abitumqve paravit. Multis igitur lachrymis ultrô citròqve fuſis, filio Regni hærede patri enixè commendato ad matrem rediit, eamqve in Regnum ſuum Saxoniam comitata, omnibus deinde maternæ pietatis officiis & honoribus afficitur. Nec illi morum ſvavitas, ingeniiqve bonitas defuit, qvibus duræ matris animum mollivit, ſimulqve populi ſtudia in ſe convertit. Nec modo nominis illius fama univerſum Regnum implevit; verùm etiam ad transmarina latè pervagata multorum eò deduxit principum animos, ut illam ſexûs ſui & ſeculi palmam reportaſſe faterent-

terentur, atqve in conjugem petiiſſent, niſi metus adfuiſſet, ne potentior Rex Helgius iterùm eam repeteret. Svecis hoc tempore imperavit Adels, Rex potentiâ clarus: Hic inter alios Yrſæ virtutum famâ perceptâ claſſem haut modicam inſtruens in Saxoniam tranſiit, conjugium ejus ambiturus. Regina mater, convivio ampliſſimo in ejus gratiam apparato, amantiſſimè eum & ſummo cum honore excepit. Cumqve is itineris cauſam proderet, illa filiæ conditionem viciſſim enarravit: Qvod ſi Adels prioris mariti offenſam nil metuat, ſe facilè potitis illius aſſenſuram. Adels hiſce nil motus in propoſito perſtitit. Negocium itaqve ad Yrſam defertur, ejusqve de hac re ſententia exqviritur. Illa prioris mariti virtutibus ſtrictim commemoratis, mutationem omnem periculoſam eſſe reſpondet; nec ſibi animo excidiſſe prius matrimonium, qvod licet initio jucundiſſimum fuerit, tam triſtem exitum habuerit, qvam temerè & imprudenter cæptum ſit. Interea hîc, veluti alias, matris arbitrio multum tribuere, qvam filiæ for-

fortunæ qvàm optimè conſultum velle non dubitet; nec ignorare ſe, eâ illam eſſe prudentiâ, ut qvid ſibi maximè conducat, optimè proſpicere qveat, conſenſum itaqve ſuum ab illius mente dependere. Cumqve inter eos matrimonialis contractus concluſus eſſet, patris tamen conſenſus reqviſitus non eſt. Exacto ibidem aliqvantulo temporis ſpatio, dimisſione reditus maturandi impetratâ, Rex aſſumptâ ſponsâ aucto qvoqve comitatu in Regnum rediens, publicâ lætitiâ, & feſtâ omnium ordinum acclamatione excipitur. Inde nuptiale convivium, invitatis ad feſtivitatem amicis, conſangvineis & proceribus Regni, plebeqve ad ſolennitatem tantam undiqve confluente, communi applauſu & votis pro fælicitate Regis Reginæqve conceptis, celebratur. Ex collatione hujus Hiſtoriæ cum Chronico Norvegico inſtitutâ, colligitur, Reginam Olufam, poſtqvam Yrſam peperiſſet, nupſiſſe Regi Geirthiofo; namqve ex Chronici relatione patet, illius conjugem fuiſſe, cum Adels virginis nuptias impetravit. Verum Saxo hiſtoriæ qvam

hic

hic deſcribimus, magis adſtipulatur; nam qvamvis matrem eam patri ignoranti proſtituiſſe cum his non conveniat, convenit tamen cum Helgio prius qvam [illegible] Yrſam conſveviſſe. Sed ad rem redeamus.

CAP, VII.

Helgius mœrore ob amiſſam conjugem vexatus, ſolus agit. De monſtroſo Skuldæ ortu narratio. Profectio He!gii in Sveciam. Ejus cædes. Berſerki, eorumqve mores deſcribuntur.

Vix Yrſa thalamum Adelſis conſcenderat, cum hujus rei fama ad aures Helgii in Daniam pervolavit. Inde mæror & triſtitia animum exſtimulans, adeo illum perculit, ut ſubducens ſe hominum

minum commercio ſegregem domum, omnis famulitii impatiens, ſolus incoleret. Accidit autem, ut nocte concubiâ lamentabilis cujusdam ante fores ejulantis ſonus auribus ejus obreperet. Expergefactus igitur, recluſo oſtio, informe qvoddam mulieris ſimulachrum, habitu corporis fædum, veſte ſqvalore obſitâ, pallore, macie, frigorisqve tyrannide propemodum peremptum deprehendit; qvod, precibus obſecratus, ut qvi jam miſerorum ærumnas ex propriâ calamitate penſare didiciſſet, in domum intromiſit; ipſe lectum petit. At mulier, ne hac qvidem benignitate contenta, thori conſortium obnixè flagitabat, addens id tanti referre, ut niſi impetraret, omninò ſibi moriendum eſſet. Qvod eà lege, ne ipſum attingeret, conceſſum eſt. Ideò nec complexu eam dignatus Rex, avertit ſeſe. Cum autem primâ luce forte oculos ultrò citròqve converteret, eximiæ formæ virginem lecto receptam animadvertit; qvæ ſtatim ipſi placere cæpit: Cauſam igitur tam repentinæ mutationis curioſius indagan-

ganti reſppndit virgo, ſe unam è ſubter-
aneorum hominum genere diris nover-
alibus devotam, tam tetrâ & execrabi-
i ſpecie, qvali primò comparuit, damna-
am, qvoad thori cujusdam principis ſo-
ia fieret, multos Reges hac de re ſollici-
aſſe. Jamqve actis pro præſtito benefi-
io gratiis, diſceſſum maturans, à Rege
ormæ ejus illecebris capto comprimitur.
)einde petit, ſi prolem ex hoc congres-
ı progigni contigerit, ſeqvente hyeme,
odem anni tempore, ante fores poſitam
ı ædes reciperet, ſeqve ejus patrem pro-
teri non gravaretur, ſecus non leve in-
ortunium inſecuturum prædixit; à qvo
ræcepto cum Rex poſtea exorbitâſſet,
ec præ foribus jacentem infantem pro
o agnoſcere voluiſſet, ad eum iterum, ſed
orrugatâ fronte, acceſſit, obq; violatam
dem acriùs objurgatum, ab imminente
riculo, præſtiti olim beneficii gratiâ,
empturam pollicebatur, ita tamen, ut
ta ultionis rabies in filium ejus effuſa
aves aliqvando levitatis illius pænas
igeret. Ex hac tam diſſimilium natu-
um commixtione, Skulda verſuti &
ver-

ctam ardentis, armatæ libidini injuriisqve obnoxia foret, valido militum præſidio corpus ſuum vallavit. Fama verò tanti ludibrii ocius per omnes circumjacentes regiones pervolans, vix fidem invenit, tantâ potentia, tam ingenti ſpiritu, belloqve clarum Regem à fæminâ tam turpiter deludi potuiſſe.

CAP. V.

Helgius illatam ſibi ignominiam vindicat; & Oluſæ Reginæ ſtuprum infert.

Tempore haut ita longo interjecto, oris Saxoniæ Rex Helgius claſſe advectus, navibus in receſſu qvodam abditis, ſolus in terram exſpatiatur, ſociis nauticis triduum exſpectare, ni interea rediret patriam petere, juſſis. In ſaltum qvendam, non procul ab aulâ, argento auroqve plenas arcas duas deportari curavit, ibiqve celari: humilem ipſe veſtem

-m obſoletamqve indutus ad regiam ſe
-nfert; ubi in ſervum qvemdam, Regi-
-æ præter cæteros familiarem, incidit.
-rmone deinde ultrò citroq; habito, ab eo
-gatus qvisnam eſſet? mendicum pro-
-ſſus eſt, non tamen adeò egenum; ſibi
-nim magnam & inſperatam, invento in
-lvâ theſauro, fortunam nuper affulſiſſe:
-vam ne in infortunium vertat, viſum ſibi
-l Reginam deferre, qvæ jure ſibi vendi-
-t flaviſſas abſconditas, ſe tantum inde de-
-rpturum, qvantum illa permittat; cer
ſcire futurum, ne ſe fortunæ ſuæ aut
-tecti theſauri pæniteat: ad relationis
-æ veritatem explorandam ut ſecum in
-lvam digrederetur, depoſcebat: ubi
-tenſis arcis, & qvid iis contineretur,
-ntam fælicitatem admirante ſervo, in-
-rrogat, an etiam auri cupida eſſet Reg-
-a? ubi illam etiam ultra ſexum inex-
-bilem accepit, rogat ut ad inſpiciendas
-es, nullo omninô labore partas, Deo-
-m certiſſimum donum, ſolam illuc, ne
-palam fiat, deducat, aureoqve annulo
-monili donatum, ut id in ſe recipiat,
-pellit; pollicitus inſuper ſe effecturum

 ut

ut ſi in ipſius offenſam eapropter incurrat, nil periculi ei inde metuendum ſit. Servus mercede corruptus lætus & alacris domum redit, aperitqve Reginæ, in ſilvâ qvâdam auri argentiqve vim ingentem ſibi inventam; ſi libeat inviſere, paratum eò deducere. Ad hæc Regina reſpondit: veritatem hujus relationis magna mercede; falſitatem impendio capitis conſtare ſcito. Verùm qvod te expertæ fidei ſervum novi, verbis tuis fidem habeo. Ne verò cuiqvam innoteſcat, differendum in noctem iter eſt, ad tantæ rei inſpectionem. Sub noctem Regina, cupidine gazæ exſtimulata, ſolo ſervo comitata ſaltum intrans, theſaurum qvidem, ſed ſimul Dominum ejus deprehendit. Qvi oportunam ratus occaſionem illatæ ſibi injuriæ ignominiæqve ulciſcendæ, Reginam arripit, ibi illa fateri injuriam, Regemqve ut ſe in matrimonium honeſte reciperet, orare cæpit. Qvo poſtulato nil motus Rex, eam ad naves deduxit, ac per complures dies ſecum detinuit; Tandemqve expletâ libidine; ignominiâ, avaritiæ mercede, plenam in terram expon

cura

curavit: ipſa irâ, angori permiſtâ, frendens, domum prægnans rediit; qvod tamen ſummo ſtudio occultavit, nec niſi familiariſſimis, qvibus rem aperire neceſſe erat, qvæ geſta fuere revelavit.

CAP. VI.

Yrſa naſcitur, à matre indignè educatur, à Patre rapitur. Ei inſcia nubit. Hrolfum parit, ab Helgio diſcedit. Adelſi Sveciæ Regi matrimonio jungitur.

Itaqve Règina, poſtqvam tempore ad fætus maturitatem neceſſario uterum clam geſtâſſet, virginem venuſtiſſimam peperit; in qvam recens natam inceptum in patrem odium convertit, ſpicata à nomine qvod canibus proprium, & in eorum genere uni ex ſuis; ho-

 mini-

minibus verò contemtum & inuſitatum ipſi communicare placuit, Yrſam vocando; ut vel nomen ſolum audientibus ludibrio eſſet. Sed nec educatio minus probroſa fuit: nam vix cunis egreſſa, infimæ ſortis hominum filia fingebatur atqve à politiorum hominum, fœminarum præſertim conſortio, muliebribusqve artibus addiſcendis arcebatur; ne ingeni forte in aſſeqvendo deexteritas, admirabili formæ conjuncta, ſuſpicionem generis ullam, materiamqve inqviſitionis præberet. Duodecem annos nata, ad ſervil paſcendi gregis miniſterium adhibebatur Et annum integrum iſto munere functa erat, cum forte notis littoribus prædatoriam claſſem Helgius pater advertit, ac deſiderio ſtatus conditionisqve Reginæ cognoſcendæ, ſolus, obſoletâ veſte ſenem mendicum ſimulans, in terram aſcendit Ibi deprehenſam eximiæ formæ puellam qvalem antea nunqvam conſpexiſſe ſibi viſus eſt, gregis cuſtodiæ præfectam captus venuſtate formæ, qvibus eſſet orta parentibus interrogat? Pauperibus

vic

viciniâ parentibus ortam ſe profeſſæ, reſpondit: genus haut ſervile ex oculis ejus facile dignoſci; intereà convenire ut pauper pauperem ducat. Mox ad claſſem nequicqvam deprecantem deduxit, cæptqve intentius adamare; inqve regnum redux nuptiali convivio celebrato, in uxorem aſcivit; atqve ex eâ filium, nomine Hrolſum, Krakium poſtea dictum, Daniæ Regem celeberrimum, ſuſcepit. At Regina cognito filiam clam omnibus vectam, ſimulqve qvod Rex Daniæ Helgius Reginam admodum tenellæ ætatis, ejusdem nominis, duxerit, rata id qvod erat, inceſtas inter illos nuptias eſſe contractas, ad eas diſſolvendas animum intendit, maximè qvod illos mutuo amore tenerrimè ſeſe diligere comperit. Verum differendum rata, donec conjugalis amor magis magisqve in dies provectus, vel prole auctus, ad ſummum perveniſſet, quo major amantibus à divortio ægritudo creſceret. Poſt aliqvod temporis intervallum, ubi ſobole auctos novit, in Daniam profecta legatos ad Reginam Yrſam, de adventu ſuo certiorem eam facerent,

 rent,

rent, præmiſit. Hæc ſtatim Regali pompâ obviam ei procedit, atqve ad aulam benignè invitavit. Reſpondit Olufa: nulla inter Helgium ipſius maritum & ſe amicitiæ fœdera intercedere, qvibus allecta ad eum ſalutandum tam longinqvum iter ſuſceperit; longè graviorem cauſam ſubeſſe, qvam reticere piaculum duxerit ſimulqve interrogat, ut præſens matrimonium placeat? Optimè, reſpondit Yrſa nec alitèr eſſe poteſt, cum celeberrimi nominis, magnæ potentiæ, ingentisqve virtutis, opulentiæ & gloriæ maritum habeam. Neutiqvam, regeſſit Regina, de marito tibi tantoperè gratulareris, niſi eorum qvæ in hac re geſta ſunt, ignara eſſes. Etenim conjugium inter Helgium & te contractum, patrem in propriæ filiæ amplexus commiſit; cujus rei certius teſtimonium me ipſâ perhibere nullus poteſt. Ille namqve poſtqvam convivio exceptus vim mihi in propriâ aula intentatam inferre neqvivit; domo deceptam rapuit ſtuprumqve intulit, unde tu prognata. Hæc ſunt qvæ te celere nefas duxi, qvam ociſſimè impiæ, Diis immortali-

in

inviſæ, humano generi deteſtabili, tibiqve ipſi extremè probroſæ ſocietati cum Helgio renunciare, atqve à tam nefario congreſſu cum illo abſtinere diſcas: neqve enim fas eſt illi poſt tantæ conſangvinitatis notitiam commiſceri, cujus in hunc usqve diem facti culpam ſola ignorantia diminuere poteſt. Regina Yrſa adhæc obſtupeſcens, ubi ad ſe rediit, ſerò qvidem, inqvit, ſtemmatis mei originem, regibus ſata, te tamen matre impiiſſimâ, crudeliſſimâ, iniqviſſimâ nata, agnoſco; ut qvæ propriam prolem ab aulâ ad haras & ovilia, inauditâ crudelitate relegaveris, probroſum nomen indideris, ac deniqve conjugii vitium tantiſper ſciens reticueris, donec conjugalis amor & affectus etiam procreatione ſobolis auctus eò creverit, ut absqve ſummo mærore divelli neqveamus, qvo triſtiorem orbitatem faceres. Omnia hæc, ait mater, ex odio Helgii profluxerunt, cujus te innocentem participem ſummâ cum injuriâ factam eſſe fateor. Nunc autem ſi relicto Helgio mecum abire velis, omnia maternæ pie-

tatis officia experieris, præteritiqve temporis odium amore, contemtum honoribus cumulatius repenſum deprehendes. His dictis Yrſa à matre digreſſa domum rediit, omnemqve tragædiæ ſeriem Regi expoſuit; addens generis notitiam obſtare, qvo minus in poſterum cohabitare liceat. Ille immenſam matris illius crudelitatem execratus, nuptias ne reſcinderet, oravit. Illa inceſtum peroſa conjugium, in propoſito perſtitit, abitumqve paravit. Multis igitur lachrymis ultrô citròqve fuſis, filio Regni hærede patri enixè commendato ad matrem rediit, eamqve in Regnum ſuum Saxoniam comitata, omnibus deinde maternæ pietatis officiis & honoribus afficitur. Nec illi morum ſvavitas, ingeniiqve bonitas defuit, qvibus duræ matris animum mollivit, ſimulqve populi ſtudia in ſe convertit. Nec modo nominis illius fama univerſum Regnum implevit; verùm etiam ad transmarina latè pervagata multorum eò deduxit principum animos, ut illam ſexûs ſui & ſeculi palmam reportaſſe faterent-

terentur, atqve in conjugem petiiſſent, niſi metus adfuiſſet, ne potentior Rex Helgius iterùm eam repeteret. Svecis hoc tempore imperavit Adels, Rex potentiâ clarus: Hic inter alios Yrſæ virtutum famâ perceptâ claſſem haut modicam inſtruens in Saxoniam tranſiit, conjugium ejus ambiturus. Regina mater, convivio ampliſſimo in ejus gratiam apparato, amantiſſimè eum & ſummo cum honore excepit. Cumqve is itineris cauſam proderet, illa filiæ conditionem viciſſim enarravit: Qvod ſi Adels prioris mariti offenſam nil metuat, ſe facilè petitis illius aſſenſuram. Adels hiſce nil motus in propoſito perſtitit. Negocium itaqve ad Yrſam defertur, ejusqve de hac re ſententia exqviritur. Illa prioris mariti virtutibus ſtrictim commemoratis, mutationem omnem periculoſam eſſe reſpondet; nec ſibi animo excidiſſe prius matrimonium, qvod licet initio jucundiſſimum fuerit, tam triſtem exitum habuerit, qvam temerè & imprudenter cæptum ſit. Interea hîc, veluti alias, matris arbitrio multum tribuere, qvam filiæ for-

fortunæ qvàm optimè conſultum velle non dubitet; nec ignorare ſe, eâ illam eſſe prudentià, ut qvid ſibi maximè conducat, optimè proſpicere qveat, conſenſum itaqve ſuum ab illius mente dependere. Cumqve inter eos matrimonialis contractus concluſus eſſet, patris tamen conſenſus reqviſitus non eſt. Exacto ibidem aliqvantulo temporis ſpatio, dimisſione reditus maturandi impetratâ, Rex aſſumptâ ſponsâ aucto qvoqve comitatu in Regnum rediens, publicâ lætitiâ, & feſtâ omnium ordinum acclamatione excipitur. Inde nuptiale convivium, invitatis ad feſtivitatem amicis, conſangvineis & proceribus Regni, plebeqve ad ſolennitatem tantam undiqve confluente, communi applauſu & votis pro fælicitate Regis Reginæqve conceptis, celebratur. Ex collatione hujus Hiſtoriæ cum Chronico Norvegico inſtitutà, colligitur, Reginam Oluſam, poſtqvam Yrſam pepe*riſſet, nupſiſſe Regi Geirthioſo; namqve ex Chronici relatione patet, illius conjugem fuiſſe, cum Adels virginis nuptias impetravit. Verum Saxo hiſtoriæ qvam

hîc

hîc deſcribimus, magis adſtipulatur; nam qvamvis matrem eam patri ignorantem proſtituiſſe cum his non conveniat, convenit tamen cum Helgio prius qvam Adelſe Yrſam conſveviſſe. Sed ad rem redeamus.

CAP. VII.

Helgius mœrore ob amiſſam conjugem vexatus, ſolus agit. De monſtroſo Skuldæ ortu narratio. Profectio Helgii in Sveciam. Ejus cædes. Berſerki, eorumqve mores deſcribuntur.

Vix Yrſa thalamum Adelſis conſcenderat, cum hujus rei fama ad aures Helgii in Daniam pervolavit. Indè mæror & triſtitia animum exſtimulans, adeo illum perculit, ut ſubducens ſe hominum

daganti reſppndit virgo, ſe unam è ſubterraneorum hominum genere diris novercalibus devotam, tam tetrâ & execrabili ſpecie, qvali primò comparuit, damnatam, qvoad thori cujusdam principis ſocia fieret, multos Reges hac de re ſollicitaſſe. Jamqve actis pro præſtito beneficio gratiis, diſceſſum maturans, à Rege formæ ejus illecebris capto comprimitur. Deinde petit, ſi prolem ex hoc congresſu progigni contigerit, ſeqvente hyeme, eodem anni tempore, ante fores poſitam in ædes reciperet, ſeqve ejus patrem profiteri non gravaretur, ſecus non leve infortunium inſecuturum prædixit; à qvo præcepto cum Rex poſtea exorbitâſſet, nec præ foribus jacentem infantem pro ſuo agnoſcere voluiſſet, ad eum iterum, ſed corrugatâ fronte, acceſſit, obq; violatam fidem acriùs objurgatum, ab imminente periculo, præſtiti olim beneficii gratiâ, exempturam pollicebatur, ita tamen, ut tota ultionis rabies in filium ejus effuſa graves aliqvando levitatis illius pænas lueret. Ex hac tam diſſimilium naturarum commixtione, Skulda verſuti & ver-

verſatilis animi mulier nata fuiſſe memoratur; qvæ utramqve naturam participans, prodigioſorum operum effectrix perhibetur. Poſtqvam verò ad meliorem mentem luctu paululum levatus Helgius rediit, triſtitiam animiqve dolorem negocio propulſaturus, ad piraticam, à teneris familiarem, iterum exercendam ſe convertit. Tum verò amore Yrſæ impotens, Sveciam claſſe petivit, experturus ſi forte eam ſecum vi vel arte abducendi, maritoqve invito eripiendi occaſio affulgeret. Conſilii forte ignarus Adels, ut littoribus Sveciæ eum appuliſſe comperit, qværit à Reginâ, an ad convivium eum invitari velit? id verò in arbitrio ejus poteſtateqve ſitum reſpondit: eum tamen eſſe qvem ſibi præ omnibus aliis colendum & honorandum agnoſceret. Viſum eſt Regi à rebus ſuis non alienum eum qvam honorificentiſſimè invitare, non item omninò indemnem dimittere. Mittuntur ergò ad naves, qvi ſalutem Regis Regi deferrent, adqve hoſpitium invitarent. Is oblato honore lætus, relictâ ad claſſem maximâ copiarum parte, centum

tantum

tantum in comitatum delectis, ſine morâ acceſſit, & qvam honorificentiſſimè excipitur. Duodecim Berſerki militiam Adilſi ſeqvebantur; mores his & ingenia ut cæteris ejusdem furfuris, furor & rabies plusqvam canina, cutis ferro impervia, clypeos admordere, porcorum more grunnire, vel leonum potius rugire, cum efferbuerit ira in bellum nudo capite ruere, ad ſingulare certamen provocare, qvi uxores, filias, aut cognatas libidini eorum permittere recuſarent, vique ſtuprare, ſi prælium detrectaretur; ærò qvin promiſcuè matronas & virgines violare, menſem unum aut alterum retinere, domum deinde cum ignominiâ ad parentes & propinqvos remittere, ubivis latrocinari, inter præliandum, furore porcorum inſtar, duplo robore augeri. Hi tales illius ſeculi principibus in deliciis fuerunt; qvibus ad præſidium Regionis & Regni uſi, ad eorum ſcelera connivere neceſſe habuerunt, munera atque ingentia ex latrocinio qvotannis, tempore feſti Jolenſis, iis deferre ſolebant, ſocios ſcelerum & participes rapina-

 rum

rum & latrocinii eos ſecum reddentes. Hos ſubornavit Adels cum mandato, ut ſaltu, qvi inter urbem & Regis Helgii claſſem intercederet, propè viam publicam, qva proceſſurus eſſet, abſconditi, in eum facto impetu irrumperent, ſubornaturum ſe copias, qvæ illum à tergo premerent, pollicitus, iterum atqve iterum monens, ut ſedulò caverent, ne omninô elaberetur. Hæc fraudis doliqve machinatio ſummâ curâ occultata eſt, ne qvicqvam illius Reginæ, ne Berſerkorum qvidem reditus, ſuboleret: (nam interea dum Helgius illic moratur, ex qvadam expeditione redierant; qvos ne palam progrederentur, Rex decurſu ſuo in itinere non procul ab urbe præoccupavit.) Iterum convivium ingreſſus, hoſpiti ſe facetum & benignum exhibuit. Verùm Helgius aſpectu Reginæ adeo exhilaratus, & tanqvam totus extra ſe, in amorem ejus raptus, illius ſolius colloqvio toto convivii tempore intentus erat qvô Zelotypo Regi ſuſpicionem occultarum molitionum auxit. Sub finem convivii hortatur Regina maritum, ne ab-

qve Regiis donis ſocerum dimittat, qvod ille alacriter pollicitus, ſub abitum Helgii liberaliter & magnificè executus eſt; nam pretioſiſſimis muneribus, auro, gemmis & diverſi generis cimeliis donatum, ſummâ cum honoris exhibitione, unà cum Reginâ per plateas longam viam, ſpecie ſinceræ charitatis, comitatus, ultimum vale dicentem dimiſit; ſuffectâ interim ſatellitum cohorte, qvi honoris cauſa ulterius in viam deducerent; qvi ad deſtinatum locum cum perveniſſent, conſalutato Rege diſceſſerunt. Nec longo temporis interjectu irruentes in ſe Berſerkos, qvantumvis imparatus fortiter Helgius excepit, repuliſſetqve, ni ex inſidiis exortus armatorum globus illum à tergo invaſiſſet. Cumqve ab omni premeretur parte, in mediam hoſtium aciem eqvum permiſit; magnâqve ſtrage editâ, ne inultus moreretur, oppreſſus ſuccubuit. Munera inde tutæqve largitiones Regiæ unà cum ſpoliis devictorum ad Adelſem delata ſunt. Ingenti ex tantâ victoriâ lætitiâ perfuſus Adels, & tantum non triumphans, qvod tanto Rege, qvi ſolus

 glo-

gloriæ ſuæ obſtruxiſſet, ſummoto, jam æmulorum nemo ſupereſſet (non enim filium adoleſcentiam nondum ingreſſum metuebat.) Reginæ patrem è vivis ſublatum nunciari juſſit: qvæ longè ſecus tam triſti nuncio afficiebatur; qvam jam gravi luctu oppreſſam Rex conſolaturus acceſſit, qverimoniis miſſis luctum ut deponeret, hortatus; ſe ei & mariti & patris loco fore; mulctamqve, ſi ſaperet, ob patris cædem, aurum, argentum, resqve alias pretioſas accipere, monuit: cui Regina reſpondit, qvod fortiſſimum heroem, inviɛtiſſimum Regem, omnium mortalium ſibi devinctiſſimum, ſui ipſius ſocerum & id temporis hoſpitem, rupto divini humaniqve juris vinculo, fraude & dolo vitâ privaſſet, non eſſe qvod gloriaretur. Se qvod attineret, cum natura ſe ad ultionem ſumendam non armaſſet, ſumpturam qvam poſſit: fidem namqve ei ſubtracturam, ſi qvando res foret cum aliqvo, qvi amicitiæ & ſangvinis nexu patrem attingeret; nec Berſerkis parſuram, cum occaſio offerretur. Rex minas illius tam ſibi qvam illis intentatas

inſu-

inſuper ſe habere teſtatus, ut mulctam,
qvam ipſe ſibi irrogaret, non reſpueret,
iterum ſvaſit, perſvaſitqve: qvâ acceptâ,
numqvam tamen à morte Helgii hilaris
aut animo tranqvillo apparebat, rixæqve
& tumultus in aulâ plures qvam antea
exorti ſunt, totisqve viribus anniteba-
tur, ut Berſerkos contumeliis afficere
poſſet: optabatqve tacitè divortium cùm
Rege; ſed potentia voto obſtitit. Jam-
qve Adels ſibi primum, deinde aliis, Se-
ptentrionalium Principum potentiſſimus
videbatur; nec eſſe, qvi ſibi Berſerkorum
præſidio munito dubiam palmam face-
ret. Crevitqve adeò potentiæ ejus opi-
nio, ut multorum fortium virorum con-
fluxus ad eum fieret, magno honori du-
centium, aulam ejus militamqve ſeqvi;
qvamvis id temporis pace tranqvillâ &
otio, ſopitis bellis, potiſſimum frueretur.
Cum autem Reginæ inopina de Berſerkis
ultio, operâ inſignis athletæ Svipdagi
ejusqve fratrum tandem obtigerit, genus
eorum geſtaqve, totiusqve vindictæ ordo
hic jam exponendus eſt; præſertim cum
hi deinceps in aulam Hrolfi Krakii rece-

pti, ulterius qvoqve ad hanc hiſtoriam pertineant.

CAP. VIII.

Svipdagus, ejusq; fratres. Ipſe ad aulam Adelſis accedit, cum Berſerkis confligitatur. Eos ſuperat.

Fuit Vir inter Sveciæ incolas, aviam & longe à cæterorum civium habitationibus diſtantem ſolitudineqve diremptam villam incolens, nomine Svipus, provectæ ætatis, verum juvenili ætate animi vigore, corporisqve robore, artiumqve tam militarium, qvam qvæ agilitatem conciliant, ſcientiâ probè inſtructus; nec talis, ut ex habitu exteriori de indole & animi dotibus conjectura capi poſſit. Tres illi filii, juvenilis paterni vigoris prorſus æmuli: Nomina his Svipdagus, Beigadus, & Hvitſerkus liberorum natu maximus. Commendabat hos præ-

te

er cæteras animi corporisqve dotes ſpecioſa forma, qvalis in viris laudari ſolet. Vix decimum octavum ætatis annum mpleverat Svipdagus, cum patri ſolitudinis tædium qveſtus, diſcedendi veniam petivit, dictitans; deſerta, abditasqve convalles, qvas natura à cultioribus & amænioribus terræ partibus ſecreviſſet, nihil eſſe aliud, qvam exilii locum, ad qvem qvi colant, tanqvam humani generis portenta civibus inviſa, relegati damnatiqve; omni humanitatis commercio prohiberentur: habere ſe potentiſſimum Regem invictiſſimo Berſerkorum cæterorumqve athletarum & pugilum ſatellitio ſtipatum Adelſem; illum ſe acceſſurum, & ut in militum ejus collegium adſciſci poſſit, enixurum. Ad hæc Svipus pater regeſſit; neqvaqvam ſibi illud inſtitutum probari: nam qvanqvam ſit Rex celeberrimus, opum tamen & potentiæ vim, non proprias virtutes, claritudinem illam conciliâſſe; eſſe enim animo verſutum, alloqvio blandum, & pariter inſicioſum, qvi plura promitteret, qvam præſtaret, moribus ad oſtentationem compoſitis,

tis, naturâ revera malum; Satellites verò invidos & audaces, corporis ſtupendo robore pollere. Svipdagus periculis ſubeundis virtutem illuſtrari reſpondit; perſvaſum eſſe, tædioſæ ad illud usqve tempus traductæ vitæ genus aulico ſplendido & jucundo permutare, paternâqve domo excedere. Qvod ut obſtinatè propoſuiſſe pater animadvertit, aſſenſum etiam præbuit, optimiqve generis eqvo, armaturâqve nobiliſſimâ inſtructum inter cætera ſecuri, acuminis & magnitudinis miræ & inuſitatæ donavit, dimiſſurusqve ſvaſit, ne ullum injuriâ laceſſeret, illatam fortiter reprimeret, neve fortitudinem jactaret; ſed impetitus eandem oſtenderet, nempè diſſimulatam ex provocatione admirabiliorem, & ex improviſo erumpentem illuſtriorem fore. His monitis, pluribusqve aliis prudentiæ regulis inſtructus Svipdagus, parentibus conſalutatis, iter ad aulam Regis direxit; qvod eodem veſpere, eqvo acriter in curſum laxatis habenis concitato, emenſus, ad circum ante aulam, ligneo ſepimento munitum, januis clauſis, pervenit. Mos

erat

rat ingredi volentibus veniam efflagita-
e; qvod ille negligens effractis clauſtris
:itato curſu penetrans, ad Regem aureâ
ellâ inſidentem, Berſerkis ab utroqve la-
:ere ſtipatum, ſe contulit, decenterqve ſa-
.utavit. Mox cujas eſſet, & unde veni-
:et, qværenti, patrem domiciliumqve ex-
)oſuit, agnitusqve inter præcipuos pugi-
es locum mereri viſus eſt. Sed offen-
lerat Regem Berſerkosqve ſuperba ade-
ıvitatio, qvod cancellos Regios temerè
)errupiſſet, nam eodem fortè die ludi ce-
ebrabantur, ad qvorum ſpectaculum fre-
ıvens populus cöierat: cumqve vidiſſet
Rex advenam adeò ſuperbè portis adeqvi-
antem, hunc virum magnos ſpiritus
gerere pronunciavit; nec aliàs ſibi viſum,
ıvi tam inflato animo januas ſepimenta-
ıve clathrorum pernicis eqvi curſu mo-
nento proſternere auſus eſſet; illius igi-
ur fortitudinem viresqve explorandas.
nterea ludorum ſolennitate haut qva-
vam ceſſante, ſcamno ſe advena inter
)ectandum inclinans à Berſerkis minaci
ultu eum intuentibus cædi qvam pri-

 mnm

mum deſtinatur. Igitur finito ludo ad Regem eunt, veniam facinori patrando expetentes: qvibus ille reſpondit; non ſe eâdem atqve ipſos æſtimatione advenam metiri; haut injuriæ oportunum ſibi videri, velle tamen ut experimentum ſumatur, robur hic an faſtus prævaleat. Grege populi & famulis aulicis ad ſua remeantibus, Svipdagum accedunt, qværentes, an athletam ſe profiteatur? qvibus ille, haut ullo eorum inferiorem cum reſpondiſſet, prius furore percitos acrius inflammabat, adeò ut Rege ſpectaculum iſtius experimenti in craſtinum differente, vix jam frendentes irâ & ultionis ardore incaleſcentes continerentur, qvi eum actutum provocantes, arma ſibi, non ſesqvipedalia verba tumidamqve inflati tugurii opinionem, opponi poſcerent. Ille verò paratum ſe ait cum illis per vices congredi; nec, ſi pluribus uno eodemqve congreſſu excipiendis non impar ſibi videatur, illud qvoqve certamen detrectaturum. Tantâ repentini advenæ fiduciâ Regina adeò lætata eſt, ut gaudium intra

præ-

ræcordia animi abſcondere minimè poſ-
et, appoſitè talem hoſpitem acceſſiſſe
lictitans, qvi Regem Berſerkis nimium,
ec ſine Majeſtatis ſugillatione, fidentem
loceat, qvantum præſidii in illis ſitum eſ-
ſet, cujus verbis magis ac magis excan-
leſcentes, palam teſtati ſunt, ejus in ſe a-
nimum dudum ſibi perſpectum eſſe, ut-
otè qvæ votis, omnium ſimul mortem,
qvo patriis manibus ritè litetur, expetat.
Vix illuxerat dies craſtina, cum ardore
ugnandi incitati, inqve harenam ſinguli
ligreſſi, uti convenerant, Svipdagum
dorti ſunt. Magnis animis concurritur,
Berſerkis partam famam, Regium favo-
em omniumqve opinionem aſſerturis,
eregriniqve tam contumaciam qvam
ontumelias vindicaturis: illo contra, ver-
is heſternis fidem facturo, inveteratæq;
pinioni de fortitudine eorum falsò con-
ceptæ detracturo, famamqve nominis,
mperantium gratiam & adſtantium plau-
um promerituro. Nec longa mora,
rimo actutum ſtrato occiſoqve, alter
vindictam ſitiens in eum irruit, ſtatimq;
d orcum miſſus ictu gladii corruit. Con-
ſimili

ſimili fato adhuc duo conſumpti ſunt, cum indignatus valdè Rex, intuliſſe ſibi tantam cladem Berſerkorum cæde inopinatum advenam ignotumqve qveſtus, omnes, qvi aderant, ut ſimul in eum irruerent, conficerentqve, mandavit. Verum Regina, verita ne fortè ſubitaneâ irruptione ſubverteretur, ſatellites ſuos ad vim arcendam oppoſuit; dictitans, longe majorem illum cunctis Berſerkis eſſe, qvos ſolus virtute ſuperabat: Rege autem indignum in unum hominem ſatellitium omne armare: tantâ virium ejus propè invictarum confeſſione evinci, qvanto omnes præſtet, ad qvem opprimendum integro propè exercitu opus ſit; levem autem cladem Berſerkorum cæde illatam videri, qvos unus juvenis, nullius ope adjutus, ſuſtulerit. Motus dictis Reginæ Rex Svipdagum loco honorificentiſſimo ſibi è regione collocavit. Elapſo veſpere Svipdagus, cum per noctem præcedentis diei periculum animo volutaret, non ſatis Berſerkos laceſſiviſſe, nec gratiam Reginæ ſatis rependiſſe ſibi viſus eſt. Lecto igitur exſurgens armis aſſumptis, ſolus

olus cubiculo egreſſus eſt, ratus ſibi inſi-
lias tendi, ſi ſe ſolum viderent; illam oc-
caſionem manibus elabi hautqvaqvam
paſſuros: nec fefellit opinio; nam ut nul-
lo comitatu, nullis auxiliis ſuffultum vi-
dent, omnes confertim ſimul in eum im-
petum faciunt, qvorum ictus partim um-
bone exceptos declinavit, partim gladio
grandioribus ictibus retorſit, duravitqve
aliqvantiſper iniqvum certamen, donec
Rex tumultu excitatus, interveniendo
diremit. Qvintus è Berſerkis eo confli-
ctu morte mulctatus eſt. Viſo autem
qvod octo robuſtiſſimi inter omnes Sve-
ones habiti, delectiqve in limitum regni
cuſtodiam, uni viro impares eſſent, Rex
vehementer excanduit: maximè qvòd
ſucceſſu fruſtratus eſſet. Namqve clancu-
lum ultionem ſociorum hoſpitisqvè cæ-
dem, cum Svipdagus cubiculo egreſſus
eſſet, ipſe ſubornaverat, maturandum ra-
tus, dum Regina horum inſcia opem fer-
re neqviret, graviter ergò increpatos ex-
tra imperii limites proſcripſit. Dictitans,
qui ſibi conſtitiſſe ferociores qvam fortio-
res

res eſſe. His accenſi Berſerki bellum minitabantur. Rex verò reſpondit, in ſuâ qvidem poteſtate eſſe, bellum illud morte eorum prævenire; qvo tamen magis contemptos ſe qvam timendos agnoſcant, exilium iis permitti. Atqve ita turpitèr exauctorati, ultra imperii pomæria egreſſi ſunt. Rex verò Svipdagum in eorum locum ſuffecit: hortatus, qvandoqvidem Reginâ annuente copiis militaribus cuſtodiæqve Regni præfectus ſit, locumqve Berſerkorum omnium ſolus ſucceſſor teneat, provideret; ne minus utilem ſe ſibi regnoqve exhibeat, qvam erant duodecim anteceſſores, excurſusqve piratarum, populationes vaſtationesqve propulſet, terreſtres hoſtium irruptiones arceat, ſeditiones reprimat, his feliciter expediendis arma exercitumqve in omnem eventum paratum in promptu habeat.

CAP. IX.

Berſerki contra Adelſen exercitum movent. Ho

Svi

Svipdagus acri prœlio fundit. Illi bellum reparant. Svipdagus cum iis congreditur. Fratres ſuccurrunt. Eventus pugnæ.

At Berſerki dum exularent, minarum Regis, odiiqve Reginæ plusqvam Vatiniani, cladis deinde & contumeliæ à Svipdago illatæ haut immemores, ultionem meditantur. Suæ igitur farraginis hominum colluvie ad ſe undeqvaqve confluente, in tantum excreverunt, ut ſpeciem juſti exercitus præberent. Infeſtis igitur armis Sveciam petentes, obvia qvæqve ferro flammisqve devaſtârunt; armenta, pecudes & qvicqvid precium ſui commendabat, in prædam ceſſit; homines aut cæſi ſunt aut capti. Tanti incendii rumor ubi ad aures Regis pervenit, Svipdagum cum exercitu raptim collecto occurrere jubet. Verum ille Imperatoris munus, abſente Rege,

ge, exercitumqve abnuebat; forte ad invidiam Regis declinandam, iniqvo animo laturi victoriam illius potius qvam ſuo ductu obtentam videri. Ad ultimum duodecim virorum vitas (qvandocunqve poſceret) ſibi donari pactus, imperio paruit. Rege itaqve domi remanente, cum exercitu magnis itineribus Berſerkis obviam profectus in loco pugnæ deſtinato tribulos muricesqve projiciebat, qvi defoſſi, perniciem ingredientibus ad ſe ſuosqve oppugnandos properaturis afferrent; in qvos cum incidiſſent, haut leviter vulnerati ſunt. Mox cum exercitu ſuperveniens, uno eorum occiſo, reliqvos una cum manu ſuperſtite in fugam actos, palantes ad naves perſeqvitur. Deinde victoriâ ovans ad Regem reverſus, magnâ gratulatione, Reginæ inſuper laudibus cumulatus, excipitur; qvæ tot jam experimentis compertum Regi ſuggeſſit, qvam nihil præſidii in beſtiis illis eſſet. Dimidiâ ex parte acciſus erat Berſerkorum numerus, nec tamen ſex reſidui qvieverant. Qvi cum in Sveciam iterum infeſtum exercitum traduxiſſent, direptionibus,

ribus, cædibus & incendiis pro more defædantes; ne latius & in penetralia Regni ſerperet incendium, Svipdagum contra eos modicis copiis armatum Rex præmiſerat, ſeipſum cum majoribus ſecuturum pollicitus. Profectus igitur Svipdagus, auxilioqꝫ Regis ſuccurſuri confiſus, Berſerkis occurrit, copiis duplo ſuperioribus. Concurritur ingentibus animis, infeſtisqve ab utrâqve parte gladiis, ingensqve periculum fuit, ne Svipdagianos multitudo circumfunderet. Eodem forte tempore excitus ſomno Svipus pater, valdè ingemiſcebat, advocatisqve filiis fratris non procul indè impari manu pugnantis periculum, oculis ſuis per qvietem obſervatum, expoſuit; modicas copias multitudinis impetum ſuſtinere non poſſe, permultos cæſos eſſe, & qvi ſuperſint, partim langvore, partim metu ardorem pugnæ remiſiſſe, fratrem ante ſigna accerimè pugnantem, tribus vulneribus acceptis, alteroqve orbatum oculo prælium ſuſtinere; ni maturè ſubveniatur, de eo procul dubio actum eſſe; Regem in ſubſidiis latere, ſpectatoremqve

E pu-

pugnæ, non hoſtium propulſatorem agere, conflictum dilaturum donec dux Svipdagus cæſus, aciesqve hoſtium debilitata ſibi, cum recente milite adverſus feſſos concurrenti, facilem victoriam eſſet conceſſura; qvò tanqvam vultur alienæ prædæ ſolus gloriam de confecto propè bello, & privatam lætitiam de Svipdagi, inviſi ſibi ducis, nece capere poſſit; armarent ſe modò filii, fratriqve periclitanti ſuccurrere feſtinarent, Nec mora, armaturâ eqvisqve aſſumptis exiliunt domo, adqve locum pugnæ, qvem pater ſomnio edoctus monſtravit, veloci curſu perveniunt, deprehenduntqve omnia dictis patris reſpondere. Namqve Svipdagus multis vulneribus adverſo corpore ſaucius, alteroqve oculo privatus, tribus Berſerkis occiſis, multisqve ſuorum cæſis, adhuc fortiſſimè dimicabat: Qvi ut fratres in auxilium concurrentes agnovit, de eventu pugnæ haut amplius dubius, ſuos ut pugnam redintegrarent hortatus eſt adeſſe ſubſidium ſternendis hoſtibus ſatis validum, ſe modo viros præſtarent. His dictis, facto globo, una cum fratribus

ſeqve

eqvente milite jam novo auxilio confi-
dentiore facto, animosqve recolligente,
confertim in hoſtes invectus, primo im-
petu confudit & turbavit; deinde totam
aciem diſſipavit. Langventes igitur a-
nimo, & diuturno labore ex prælio feſſi,
terga vertentes ad naves effuſiſſimè fugi-
unt; qvos Svipdagus qvam potuit acer-
rimè inſecutus, oppreſſit, inde collectis
ſpoliis victoriâ ovans ad Regem ſe con-
tulit. Qvatuor erant vulnera cæteris gra-
viora, valdèqve periculoſa Svipdagi cor-
pori ſtatu certaminis inflicta: duo mani-
bus, tertium capite, excepta; qvartum
oculus erutus oſtendit. Qvibus medendis
ipſa Regina operam contulit, qvamvis
ægrè, nec niſi longo tempore, curaren-
tur: per omnem deniqve vitam jacturam
oculi, atrocis pugnæ veſtigium, paſſus,
parti honoris & victoriæ monumentum
oſtendit.

CAP. X.

Svipdagus cum fratribus, aulâ Adelſis relictâ, ad

Patrem ſe recipit. Hrolfi Krakii Daniæ Regis elogium. Ad eum fratres, ſuggeſtu patris, ſe conferunt. Ejus ſatellitio inſeruntur.

Ut primum ex vulneribus Svipdagus convaluerat, Regem adiit, reſignatoqve officio, ſe aliò conceſſurum prædicabat. Rex autem honoribus in illum congeſtis, cum beneficiis aliis, qvibus eum affecerat, commemoratis, plura inſuper tum illum tum fratres ejus exſpectare juſſit. Ut verò eos propoſiti tenaces animadvertit, qværit qvorſum tenderent? id ſibi nondum conſtare reſponderunt. Illud certè propoſuiſſe, Principem talem inviſere, qvi non inter latebras abditus milites ſuos præſentiſſimo vitæ periculo objiceret, ſubſidiaqve ſubtraheret, eô tantum fine, ut gloriâ ſibi vendicata amicis fatum acceleret: ſatis

tem-

temporis in Sveciâ tritum; mores, inſtituta, potentiam, gloriam Majeſtatemqve plurium Regum cognituros. His dictis, conſalutato Rege ad Reginam conceſſerunt, actisqve impensè gratiis diſceſſerunt; eqvisqve in curſum concitatis, ad patrios penates perrexerunt; paternoqve affectu excepti, geſtorum ſerie ordine expoſitâ, gerendorum conſilium efflagitarunt. Qvibus pater reſpondit: Hrolſum Helgii dolo vitrici Adelſis ſublati filium, ſeculi ſui decus, eum eſſe in cujus ſatellitium adſciſci honorificum ipſis foret: eſſe namqve ſapientiſſimum, utpotè qvi omnibus vicinis Regibus ſubactis, ſecuritatem ſibi, ſubditis etiam fœlicitatem, opes, & rerum omnium abundantiam, talium operâ & miniſterio conciliaſſet: Præterea acceſſu facilem, alloqvio blandum, vultu affabilem, formâ elegantem, juſtitiam clementiâ temperantem, in eligendis amicis providum, retinendis conſtantem, ornandis donandisqve profuſum, in promiſſis fidum, liberalitate & magnificentiâ incomparabilem, manu promptum, legum ſeverum vindicem,

cem, prævaricatoribus difficilem, injuſtè afflictorum perfugium & præſidium, hoſtibus formidabilem, nulli magis qvam vitiis inimicum: His virtutibus nominis ſibi immortalitatem, & æternam ad poſteritatem memoriam comparâſſe. Svipdagus repoſuit: propoſuiſſe patrem magis virtutum qvoddam exemplar, qvam Regem, qvi talis eſſet, indicâſſe. Ex his tamen omnibus aliqvid participare, tanto viro referente credendum; non igitur differendum, ſed qvam primùm periculum faciendum, an etiam ſe in numerum ſuorum ſatellitum velit adſcribere. Pater in eorum poteſtate ſitum refert, ubi terrarum vivere velint, malle ſe tamen domi ut manerent. Illi neqvaqvam ſe commiſſuros reſpondent, ut poſthabito tanto Rege rus patrium colerent. Itaqve ſalutatis parentibus in Daniam profecti Hrolfo Regi ſe ſiſtunt. Primus Svipdagus, ſeqventibus fratribus, aulam intrat Regemqve ſubmiſſè & officiosè ſalutat. Qvo qvinam eſſent? rogante, ſingulorum nomina exponit, longumqve iter ſuſc-

ptu

ptum memorat, eô fine, ut in ſatellitum Regiorum numerum recipiantur. Non eqvidem propoſuiſſe ſe, ait Rex, miniſtros & ſatellites Regis Adelſis in ſuum ſatellitium admittere, eorumqve curæ & cuſtodiæ ſalutem ſuam committere: verùm prævertiſſe jam dudum adventum eorum, præclaram geſtorum fidelisqve Adelſi operæ navatæ, nec repenſæ, famam: tantum abeſſe, ut tantorum virorum conſortium aſpernetur; ut inſuper etiam gratias agat, qvôd præclarâ ſui opinione ducti, ſe Adelſi prætulerint. Svipdagus, actis gratiis, ſedem ſibi aſſignari petit. Ad latus cujusdam Bialkii, infra vacuas duodecim virorum, ſedes indicatur; fratres autem loca, ut præceptum erat, occupârunt. Svipdagus à confeſſore Bialkio cognovit, duodecim Berſerkis in expeditione nauticâ occupatis, ſedes illas competere. Duæ erant Regi filiæ; alterius nomen Driſa, qvod nivi commiſta pluvia; altera Skúr, qvod procella pluvialis aqvea, vertitur: Hæc ſemper domi in aulâ manebat, formæ elegantiſſimæ, fratresqve ſuo favore dignata patri com-

mendabat. Cum autem rediiſſent Berſerki, omnes pro more aulicos accedebant, qværentes à ſingulis, ſibine comparari, aut pares haberi vellent? qvibus ſummâ cum dexteritate ad evitandas rixas, pacemqve intra aulæ parietes & concordiam tutandam, ab unoqvoqve eo temperamento reſponderi conſvevit, ut haut obliqvè appareret, ipſis ſe neminem componere. Et jam ad Svipdagum perventum erat, qvem cum primipilus hac qvæſtione laceſſeret, confeſtim de ſede exſiliit, ſtrictoqve gladio reſpondit: ſe hautqvaqvam ulli eorum, vel virium robore, vel aliis dotibus inferiorem velle videri. Ergo, inqvit Berſerkus, hoc caput, hanc galeam enſe intrepidè feri. qvod cum tentaret Svipdagus, vidit caput adverſarii ferro lædi non poſſe. Jamqve ad manus perventum eſſet, ni Rex interventu ſuo illos reconciliâſſet, pares judicando; cujus auctoritate contenti, domi militiæqve ſemper concordes vixerunt, animi ferociam obſeqvio Regio ſubmittentes.

CAP.

CAP. XI.

Hrolfus legationem in Sveciam parat. Regiam amplificat. Sororium Hiorvardum aſtu ſubjugat.

His peractis Rex legatos ad matrem in Sveciam miſit, petitum, ut ſuo nomine cimeliorum, omnisqve æris, qvod patri mortuo Adels abſtuliſſet, reſtitutionem poſceret. Regina reſpondit, nil hac legatione iniqvum poſtulari; verum Adelſem tantâ iniqvitate & avaritiâ eſſe, ut ſurdas aures æqviſſimis poſtulatis adhibeat: laterem lavaturam, ſi legationem exponeret, nec Regem filium qvicqvam profecturum, ni ipſe ſe præſentem exhiberet; tum verò conſilia pro re natâ ſuggeſturam. Hoc reſponſo dimiſſi legati ad Hrolfum redierunt: qvi qvamvis matris conſilia ſeqvi in animo haberet; intervenerunt tamen aſſiduæ occupationes, qvæ propoſitum diſtule-

tulerunt; bellorum nimirum continua ſeries, victoriæqve trophæa victis regibus identidem parta. Terebatur adhæc tempus urbibus & ædificiis exſtruendis. Plurimum eminebat Regia Hleidargardus dicta, qvam Skioldus Odini filius primus fundavit, verum à Hrolfo tanto ornatu, luxu, & magnificentiâ refecta & inſtaurata eſt, ut nullam parem totus Septentrio haberet, magnificentiæ Regis, ſui ſeculi eminentiſſimi, reſpondentem. Fuit Rex opibus & ditione potens, juvenis magni acuminis, Hiörvardus nomine (Hiartvarum Saxo, & qvi eum ſecuti ſunt ſcriptores; Hiartmannum Johannes Gotus, Hiortvardum Hvitfeldius, vocant: Nomenclatura Hiorvardum indicat.) Gvalterus, qvem hic ſeqvimur, ditionem cui præfuerit, omittit; Johannes Gotus unum ex Sveciæ proceribus nominat. Huic Hrolfus ſororem Skuldam in matrimonium collocavit; accedente Regis Adelſis & Yrſæ Reginæ conſenſu. Eum ad convivium opiparum opiparum qvodam tempore invitavit Hrolfus, qvod in longi

us

us tempus productum magnâ cum hilaritate, commiſſatoribus ſibi invicem gratulantibus, celebrabatur: forte evenit, ut Reges in campum exſpatiati inter ſe colloqverentur, cum Hrolfus ad ſecreta naturæ ſeceſſurus Hiorvardo gladium interea reſervandum traderet, qvem etiam redeunti reddidit. Hrolfus iſtud officii genus obſeqvium & ſubmiſſionem interpretatus; Noſti amice, inqvit, qvod antiqviſſimis moribus, qvi miniſterium retinendi gladii ad exonerandum alvum ſecedenti præſtiterat, ſubjectionem ſimul præſtitiſſe, dominiumqve illius hoc actu cognoviſſe judicatus ſit: Meus igitur de hinc cliens eris, regnumqve qvod tenes beneficio meo acceptum feres, & in teſtimonium confeſſionis annua tributa pendes, clientum jure munitus patrocinium fidelemqve tutelam, ſi qvis te impugnaverit, experiere. His auditis propè conſternatus Hiorvardus, cum vim opponere neqviret, nec à propoſito gloriæ proferendæ ditionis cupidiſſimum Regem abſtrahi poſſe cognoſceret, offenſione diſſimulatâ, in tributum clientelamqve

qve neceſſitate compulſus, conceſſit; licet conditionis mutationem, qvantumvis titulo illibato, ægerrimè ferret. Finito igitur convivio domum profectus, per complures annos tributa ſolvendo, Regis amicitiam hoſtili animo coluit; Majeſtatemqve veneratus, ſpeciem in præſenti ſtatu acqvieſcentis præbuit, fidemqve perſeverantiæ conſtanti longi temporis obſeqvio in poſterum confirmavit.

CAP. XII.

Bodvaris Biarkii genus repetitur. Avi ejus Secundæ nuptiæ. Regina Hvita privignum Biörnum ad inceſtum ſolicitat, & diris devovet.

Anteqvam iter in Sveciam ſuſceptum, tam hiſtoriis qvam fabulis antiqvorum celeberrimum proſeqvar, tempeſtivum erit, qvali ſatellitio inſtructus fuerit, in primis pugilum principis Bodvaris re-

:rum geſtarum partem aliqvam præmit-
:re. Avus ejus patern⁹ fuit Hringus, par-
s Uplandarum in Norvegiâ Regulus; qvi
x uxore primà, jam ad ſenium vergens,
dultum filium, nomine Biörnum, reliqvit,
ndolis bonæ, pietatis eximiæ juvenem,
mperatoriis ac militaribus artibus juxta
nclytum; qvarum peritiam continuâ pi-
aticæ terreſtriumqve expeditionum con-
vetudine, patris militiam ab incunabulis
ropè ſecutus, comparavit. Fortè eve-
iit ut Regina Biörni mater fato fungere-
:ur, non ſine publico privatoqve ſubdi-
:orum luctu, cujus deceſſu contriſtati Re-
gii conſiliarii ſvaſerunt, ut animum ad
ecundas nuptias applicaret, legatosqve
ad virginem nobilitate generis morum-
qve conſpicuam expetendam ablegaret.
Qvorum monitis placidè auditis, in àu-
ſtrales Norvegiæ oras fide prudentiâ &
ſapientiâ regni potiſſimos, ſibiqve devin-
ctiſſimos miſit, ad inqvirendam virgi-
nem, aptam ſibi conjugem, & ſubditis
Reginam; cujus eligendæ poteſtatem le-
gatis, electionis verò proſperitatem ſoler-

tiæ

tiæ eorum commiſit. Qvos, ut imperatum erat, auſtrales Norvegiæ oras legentes oborta ab auſtro tempeſtas, ſine intermiſſione dies noctesqve flando, curſum ad arbitrium ſuum vertere coegit; nec prius deſiit, qvam in Borealis plagæ oram Finnmarchiam perventum eſſet, ubi portu ſatis commodo recepti, hyemem transegerunt. Interea dum qvodam tempore longius in terram exſpatiarentur, deprehenderunt in casâ qvâdam duas conſpicuæ formæ fæminas ad focum ſedentes, qvarum grandior ætate ſe Regis Finnorum concubinam, nomine Ingibiörgem, reliqvam filiam ſuam eo parente natam Hvitam vocari, interrogata reſpondit. Ulterius qværentibus, qvo fato in eam ſolitudinem procul ab hominum commercio redactæ eſſent, vim & minas potentioris Regis, conjugium filiæ expetentis, ſed repulſam, virgine aſpernante, paſſi, veritas, illuc usqve ad reditum patris in expeditione piraticâ occupati, unâ tantum, qvæ præſtò eſſet, pediſſeqva comitatas conceſſiſſe fatetur. Placet vir-

go legatis, conditionemqve offerunt nubendi Regi: Mater verò reſponſum filiæ anticipans: non eſſe recentis reſponſi, materiam, qvæ deliberatione, imò & dilatione, in patris adventum, neceſſarium conſenſum aut diſſenſum declararuri, omninô indigeret; niſi ipſa deliberationis mora majus & forſitan præſens & inevitabile periculum allatura videretur: Sibi qvidem ignotum Regem, cui filiam uxorem peterent; præſumere tamen, benè & ex re ſuâ locatam iri, utpote talium virorum atqve ipſi eſſent, Regi. Bonis ergo avibus filiam Regiam Regalibus nuptiis jungendam, ſecum ut ducerent, hortatur. Reſpondit virgo; abſentiam patris, dubiamqve ſortem, etiam patriam poteſtatem matri ex omni parte detuliſſe, cujus voluntati repugnare piaculum duceret, ſe itaqve conſenſum ejus approbaturam. Appetente vere, navigationi ſe accingunt, ſecundis ubiqve ventis uſi: ſponsâ autem ad Regem delatâ, qværunt, in uxorem ne aſciſcere velit, an domum remittere? Ille actutum formæ illius illecebris captus, dotis nullam ſe habare ratio-

tionem dictitans, nuptiis celebratis Reginam eam conſtituit, cui tanto honoris faſtigio auctæ res omnes ad animi ſententiam fluxerunt: id unum inqvietabat, qvod Rex annis, qvam ſalacitas ejus poſcebat, provectior videretur, nec diu dolor iſte intra animi præcordia preſſus ita delituit, qvin illius indicia, etiam mediocri perſpicaciâ præditis, ſe proderent.

Fuit villicus, non procul Regiâ domo habitans, cujus nomen non traditur, qvi dives opum, piraticâ juvenilibus annis partarum, inter præcipuos pugiles qvondam; nunc mutato vitæ genere colendo agro contentus, tranqvillum otium ſectabatur. Filiam habuit, eandemqve ſolam omnium bonorum hæredem, nomine Beram, formâ præclarâ; qvæ cum filio Regis Biorno puerilium ludorum, nec ipſa pueritiam egreſſa, exercitiis, adultior etiam juvenilium, aſſvevit; crevitqve inter illos ab incunabulis inſitus, cum ætate & conſvetudine haut diſſolubilis amor: donec adeò excrevit, ut intra colloqvia contineri neqviret. Conſveverat Rex qvotannis piraticam obire, Reginæ regni cu-

rā

râ domeſticâqve adminiſtratione in reditum ſuum commiſſâ; cujus molem aliqvando excuſans, Biornum filium adminiſtrationis ſocium ut domi relinqveret, petivit. Aſſenſit Rex, & ut inter ſe partirentur, juſſit. Biornus vero obnitebatur, piraticæ dirigendæ, non domeſtico regimini ſeſe aſſvetum cauſatus. Verùm Rex precibus & obſecrationibus Reginæ, ſpecioſum neceſſitatis titulum prætendentis, victus, non amplius perſvaſionibus uſus, pro imperio filio ditionis curam impoſuit; qvi neqvicqvam ſummo conamine obnitens, nec patri ſatis conciliatus, domum tacitus, irâ tumens & indignatione, rubore ſangvineo genas faciemqve perſuſus, repetens, lecto ſe morbidus ſtatim applicuit; qvo defixum, morboqve, ſeu ab iracundiâ, ſev animi mala præſagientis metu, correptum, blandis verbis noverca demulſura accedit: verum implacabilem, iræqve adeò tenacem experta eſt, ut verbis geſtibusqve ſibi adblandientem diſcedere juberet. Egreſſa igitur aliqvot dierum interjectu revertitur, jamqve immodicâ libidine æſtuans, qvam

 malè

malè ad eum usqve diem texerat, velut in apertum furorem rapta concubitum privigni poſtulavit, iniqvè comparatum dictitans, ſeni ſe juvenculam junctam, cum rectius ipſi, utpotè Juveni, nupſiſſet. Pluribus inceſtum perſvaſuram alapâ interrupit, ſtratamqve ſolo foras repulit. Ea verò indignata, inſvetam ſe injuriis à lapisqve referens, indignum ſuo amore & benevolentia pronunciavit, qvi villicam ſibi præferret, qvam & conjugio ſuo haut imperitè condignam exiſtimet, ſpinas enim ſe invicem complecti. Ne verò ſe impunè percuſſiſſe gloriaretur, chirotheca lupinâ percuſſit, adjectis diris, qvibus effecit, ut in urſum diſcedens repentè converteretur, nec deinde aliud qvam gregem patris in pabulum verteret, ſaltusqve & ſylvas oberraret, tantâqve rabie in armenta & pecora patris graſſaretur, ut feras omnes feritate ſuperare videretur, nec illud fatum unqvam eluctaretur, adqve totum vitæ tempus patriis penatibus exul, feris immiſtus avia tesqvaqve ſaltusve pererraret, ſive armenta laniando crudas carnes ſangvinemqve devoraret,

ret, ſive venantium tela perſecutionesq́; pavidus fugeret, ſive his transfixus moriturus animam exhalaret, illatæ ſibi injuriæ pænas ſentiret.

CAP. XIII.

Biornus in urſum transformatur. In gregem patris ſævit. Cum Berâ conſveſcit. Eam futura edocet. A venatoribus impetitur. capitur. Occiditur.

Biörno novercæ diris hoc modo devoto, humano habitui protinus urſi forma ſubſtituta viſa eſt. Igitur hominum commercio exemtus, ferarum luſtra & latibula qvæſivit, in Regia deniqve pecora debacchatus, magnum damnum intulit. Interim domeſtica familia, ſubditorumnqve grex, comperto ejus ſubitaneo diſceſſu, ad eum inqvirendum confluxerunt, luſtratisqve ditionis & vicina-

cinarum finibus, cum nusqvam compareret, re infectâ redierunt. Ipſius diſceſſum ingentis magnitudinis urſus, colore cineraceus, eodem tempore repente exortus cum ſuppleviſſet, magis Biorni deſiderium auxit, ut qvi ſolus noxiæ belluæ aut abigendæ aut capiendæ ſuffeciſſet. Contigit autem, ut villici filia Bera, urſum illum terribilem, cujus fama latè per viciniam perecrebuit, celeri curſu ſe petentem deprehenderet, qvæ cum curſu evadere inopinatò appropinqvantem non poſſet, metu prope exſternata, in planitie conſedit. Verum belluâ tanqvam cicure & manſvetâ illi, qvaſi notæ, adblandiente, metum in fiduciam vertit. Adulantem ergò contrectare auſa, oculos amici in urſi capite agnoſcere viſa, digredientem ſeqvitur: qvi lento præcedens gradu longam emenſus viam, antrum qvoddam intravit: qvod pariter ingreſſa, Biörnum ut prius humano habitu indoleqve præditum, ſe ſalutantem agnovit. Ingens diverſorum motus affectuum ultro citroqve concurrit, gaudium qvod conveniſſent, qvos mutuum deſiderium conjun-

xiſ

xiſſet, veneficium ſeparâſſet; ingens verò triſtitia, ex tam aſperi & inſuperabilis fati inclementiâ. Omnem igitur actionis hujus ſeriem amicæ enarravit; qvæ ſe illum hautqvaqvam derelicturam, verum in antro illi cohabitaturam, qvoad ejus copia daretur, profeſſa eſt. Ille minimè convenire reſpondit, ut virgo fæmina cum ipſo cohabitaret, utpote qvi interdiu hominis, noctu verò urſi formam, vi dirarum plusqvam nefandarum, aſſumeret. Pernoctavere itaqve in antro ſimul, usqve dum Rex ab expeditione rediret. Is ut rerum domeſticarum mutationem cognovit, exceſſum inopinatum filii, nullo conſciô, & urſi ſucceſſionem, utrumq; magno animo tulit, orbitatis dolorem premendo, jacturam gregis ut rem levem & reparatu facilem, neq; ea de cauſa ad urſi cædem properandum cenſuit. Tandem pecoris magiſtris, hortatu Reginæ, immanitatem feræ, diuturnumqve gregis diſpendium exaggerantibus, ad eam perſeqvendam ſe accinxit. Nocte venationem præcedente, Beram

 Bior-

Biornus his verbis alloqvitur: Hanc eqvidem noctem nobis inter vivos communem, & mearum ultimam fore præſagit animus; nec me aſperæ vitæ, veneficiis infectæ, tædere poteſt, orbatum qvippe omni voluptate & lætitiâ: tuam doleo vicem, cujus pietate & gratâ hoc ſtatu præſentiâ, ſublevatus ſum. finis inſtat: luce enim craſtinâ venatum profectus cum ſatellitibus Rex me gregatim circumſiſtent, præcluſâqve omni elabendi via, capient, captumqve interficient. Annulum ergo, qvem ſub ſiniſtrâ ala conditum gero, dono accipies, petesqve à Rege, cum me occiſum animadverteris, ut tibi donare velit, ſi qvid ſub ſiniſtro feræ armo reperire poſſis; illud cum nullius precii æſtimet, facile tibi concedet. Regina verò monſtrum, Trollorum generis una, & Sagarum præcipua cum ſit, intentè qvid agas obſervabit. Cumqve obſonium ex meis carnibus apponitur, magna jam feſtivitate & publicâ lætitiâ perſonante, nec illius exſortem te dimittere decreverit, cave, qvantumvis te ad edendum

dum ſive invitet ſive minis adigat, ne inde qvicqvam, ne bucceam qvidem, deguſtes; nam, qvod ipſa noſti, gravida cum ſis, emanabit in prolem edulii è paternis carnibus cocti comeſtiqve occulta vis, formabunturqve membra ad partis illius naturam, unde id qvod comediſti deſumtum eſt. Tres enitere pueros: primus Frodius, ſecundus Thorer, tertius Bodvar nuncupabuntur; eritqve unus ex his tibi præ cæteris carus; omnes tamen tanti evaſuri ſunt viri, ut memoria eorum æternitati dicata, qvoad Septentrio incoletur, ſit duratura: qvos cum in lucem edideris, patri tuo educandos tradas: qvod ſi, cum adolever, intintractabiles forte adeòqve obſtinati evaſerint, ut ne domi detinere poſſis; ſingulos & ſolos in antrum hoc deducas, inveniesqve arcam tribus loculis diſtinctam, cum characteribus runicis operculis inſculptis; qvolibet ſingulorum patrimonium continetur; monſtrabisqve cuiq; ſuam, qvam deſtinavi, runis diſtinctam partem, qvam cum decerpſerint, oſtendes armorum tria genera, rupi interioris antri impreſſa,

fra-

frameam nimirum primo nato, ſecurim ſecundo, gladium tertio, munera paterna ſingulis ſingula teſtamentorelicta. Multa deinde ipſi futura p[illegible]dixit, donec exuviis urſinis ſponte incidentibus indueretur. Tum egreſſum antro Bera lacrymans comitata, deſilientem reliqvit, viditqve magnum venatorum gregem, numeroſo ferociſſimorum Moloſſorum agmine ſaltus ſylvasqve circumdantem, indagigineqve cingentem, in urſum confeſtim irruere, telisqve eminus, & canum omni vi cominus petere. Verum fera alacriter utrosqve excipiendo tantiſper impetum ſuſtinuit, donec omnibus canibus enecatis, multis etiam viris vulnera inflixiſſet: Tum demum Rex cum venatoribus urſum undiqve circumſiſtentes iterum adorti ſunt; qvi cum circumventum ſe animadverteret, intra circum fruſtra curſitando, cum elabendi nullam inveniret viam, retrò curſu adRegem directo, proximè adſtantem dilaniavit; longâ autem perſecutione feſſus, ad pedes Regis ſe proſtravit, ubi à comitibus interfectus eſt; nec tamen mortuum urſi-

nus habitus deſeruit, argumento, urſum à Dæmone ſubſtitutum fuiſſe, poſtqvam hominem præſtigiosâ illâ formâ adumbratum peremiſſent.

CAP. XIV.

Bera ad urſinum epulum à Reginâ adigitur. Tres filios parit. Eorum Nomina, forma & fortitudo. Elgfrodius domeſticæ vitæ impatiens, acceptâ patrimonii portione, latrocinium exercet.

Ex tempore Bera, ut præceptum erat, ad Regem ſe contulit, petiitqve, ſi qvid ſiniſtro urſi armo comprehenderetur, illud ſuæ poteſtati permitteret; qvi ſubridens ſubjunxit, theſauros ferarum faciſe poſcenti donari; qvæſivitqve

qvænam eſſet? qvod illa magis ex utilitate qvam rei veritare expoſuit; cumqve urſum acceſſiſſet, prope excoriatum offendit, intra tamen ſiniſtrum armum nemine animadvertente, annulum invenit, extraxitqve. Cum vero inde domum eſſet reverſura, detinuit illam Regina, nomen & conditionem rogans; ſed Bera eadem qvæ Regi prius, confeſſa eſt. Verum Reginam haut latuit de qvo ſciſcitabatur. Intentius obſervatam non prius dimiſit, qvam ad urſinum epulum invitâſſet, qvod cum illa omnibus modis averſaretur, eò magis inſtitit, nec ſalvâ Reginæ reverentiâ recuſari poterat: publica qvippe lætitia inſtabat, dapumqve urſina præſtantiſſima habebatur: Sed & Regina famularum miniſteria obiens, fruſta ipſa diſſecuit. At cum præfractiùs obniteretur, iram Reginæ commovit, minisqve adacta, duas bucceas edit; qvarum poſterioris maximam partem cum expuiſſet, nec minus ſevere ad ulteriorem eſum cogeretur, mortis potius minas eam ſuâ nece exſeqvi juſſit. Qvam ut ob-

obſtinatè præfractam ad ulteriora adigi non poſſe Regina vidit; vade, inqvit, qvod ediſti ſuffecerit, atqve ita dimiſſa, corpore animoqve valdè ægra ad patrios lares ſe recepit, omnemqve geſtorum ordinem patri expoſuit. Exinde tres filios peperit: primus à plantis ad umbilicum usqve alcis effigiem repræſentabat, nomenqve inde Elgfrodii reportabat. Alter conſpicuæ formæ, niſi qvod pedum digiti in caninos deſiverint; Thoreris nomen, agnomen Canipedis (hundsfötr) ſortitus eſt. Tertius admodum venuſtus, nec ulli corporis vitio obnoxius, Bodvar dictus eſt, qvem mater præ cæteris dilexit. Omnes ſimul ab avo materno educati, cultioribus artibus imbuebantur; ætate ſtatim puerili æqvales, omnes, ſtaturâ, robore corporis, audaciâ, animiqve fiduciâ, ſuperabant, brevì etiam longo intervallo poſt ſe relinqvebant, adeò ut eosdem diuturnos colluſores non admitterent. Duodecennes rubuſtiſſimos qvosqve totâ ditione præſtabant, ita ut cum nemine colludere poſſent. Verberibus

&

& plagis eos ſæpius afficiebant, Regiorum etiam qvosdam occidebant; impunè id qvidem, cum nemo eſſet, qvi tantâ virtute polleret, ut ab iis pænas exigere ſufficeret. Primus Elgfrodius apud matrem qveſtus eſt, tædere ſe inter ſatellites Regios, ætate juvenes, viribus ſilicernia, morari; qvorum nemo eſſet, cujus fortitudinem æmulari poſſit, aut cujus congreſſu vires corporis exercitatione creſcerent, vel animi vigor intenderetur: neqve enim ſolum ſaltare, nec palæſtricis exercitiis operam dare, nec currendo, nando, ſagittando, aut eqveſtres ludos exercendo certare ſecum ipſum poſſe. Mater adhæc reſpondit, prævidere ſe haut è re ipſius futurum, aulicorum ulterius commerciis, faſtûs illius & contumaciæ hautqvaqvam patientium, uti: itaqve ſubſidia vitæ à patre relicta ſe monſtraturam pollicita, in antrum eum deducit, arcæqve admovit, promptuarium, ſortem illi à patre deſtinatam continens, oſtendit: qvâ direptâ, qvæ aliis continebantur ſimul abrepturus, cum fixa & immobilia deprehenderet, iniqvum hæreditatis diviſo-

viſorem patrem pronunciavit. Inde ad arma progreſſus gladii capulum arripuit, qvem petræ infixum cum dimovere neqviret, ſecurim auferre tentavit; ſed irrito prorſus conatu; Frameam igitur apprehenſam ſine impedimento abſtulit; æqvè hîc atqve in cæteris diviſionis iniqvitatem apparere dictitans: minimam enim ei portionem, forte ut monſtroſo præviſo, pater reliqverat. Tum vero indignatus frameam confracturus magno niſu ſaxo duriſſimo impegit; qvam capulo tenus impreſſam cum eduxiſſet incorruptam, ſaxumqve robur penetrâſſe comperiſſet, acutam judicavit. Deinde ne matrem qvidem ſalutatione dignatus diſcedens, aqvilonem verſus ad montem Kiölinum conceſſit; ubi exſtructâ domo, prædo factus, viatores ſpoliavit & occidit, lucri tantum faciendi cauſâ.

CAP. XV.

Thorer Canipes ad fratrem pergit. Qvomodo ab eo acceptus. In Gothiam proficiſcitur, ibi Rex creatur.

Interjecto temporis haut longo intervallo, Thorer Canipes matri diſcedendi propoſitum aperit: monſtrat ergò illi paterna dona, arcamqve paternorum theſaurorum cuſtodem, ſimulqve ſecurim ipſi relictam. Is gladium arripere neqvicqvam tentans, ſecurim & relicta bona grato animo abſtulit, & gratiis actis valere juſſit. Inde ad fratrem Elgfrodium perrexit, qvi prædis & latrociniis pro more intentus, publicas vias obſidens domo affuit. Thorer domum ingrediens pileo demiſſo faciem velavit, ſedemqve præcipuam occupavit; nec ingreſſum fratrem ſalute aut ullâ gratulatione

one dignatus, qvaſi Hermes in trivio immotus qvem occupavit locum detinuit; qvem Elgfrodius minacibus oculis intuitus, cum hoſpitem interritum aſpiceret, frameam diſtrinxit, diſtichon modulans, in hunc ſenſum:

Et manus & ferrum cædem cum ſangvine poſcunt:
Hoc fremit impatiens, prurit & illa mihi.

Scamnum deinde valdè irritatus cum frameâ percuſſiſſet, Thorer qvoqve alio metro reſpondit:

At mea, cum libeat, ſimili clangore ſecuris
Intonat. haut frameæ ceſſerit illa tuæ.

Statimqve ex voce agnitus qvam amantiſſimè excipitur, incolumis haut aliter evaſurus. Invitatus deinde ad cohabitationis conſortium, in communionem bonorum lucro partorum ex ſemiſſe, modeſtè recuſavit; manſit tamen aliqvantiſper: deinde diſceſſit. Eum frater bo-

nis

nis ominibus proſecutus, futurorum multorum certiorem factum, ut in Gothiam (credo Occidentalem) ſe protinus conferret, monuit, iſtius namqve regionis Regem recens mortuum regnum orbum reliqviſſe; moris autem eſſe, ut ad præſtitutam diem omnes, tam cives & incolæ, qvam advenæ, convocati; ad electionem novi Regis vel ſpectandam, vel ornandam, vel promovendam, adhibeantur: collocari in aprico ſolium Regium duorum ingentium ſeſſorum capax, qvod qvi ſolus mole corporis impleret, eum lege Regia defuncti Regis ſucceſſorem conſtitui; videri ſibi fratris ſtaturam huic typo apprimè reſponſuram, ominari itaqve regnum eum & Regium faſtigium ſolum ibi obtenturum. Comitatus deinde optimis eum conſiliis, prolixiqve amoris indiciis affectum fraternum oſtendens, ægrè dimiſit. Qvi cum in Gothiam perveniſſet ad definitum Regiæ electionis tempus, ad Comitem illius loci divertit. qvi ſtatim ut Thorerem viderat, Regem eum, tum ipſe, tum qvotqvot aderant, futurum ominati ſunt. Cum

ver

verò comitia haberentur, arbitrio certo rei illius inſpectio commiſſa eſt. Multi ſe ſolio applicuerunt, verum loco iſto indigni à judice pronunciati, repulſam paſſi ſunt. Ultimus Thorer ſpatium lege definitum totum occupavit, moleqve ſuâ ita adæqvavit, ut ad menſuram ipſius factum eſſe videretur. Illum ergò ſolum ſedem illam tam Auguſtam mereri cenſor pronunciavit. Deinde ſecundum legum patriarum normam regnum illi adjudicatum eſt, Regisqve nomen ab univerſo populo inditum. Eventus electionis conſilii rationem ſuperabat: optimis ſiqvidem, pro ſeculi illius conſvetudine, inſtitutis legibusqve regnum deinceps formavit; bellaqve multa, plerumqve fælici eventu, geſſit; & ſubditorum amorem & obſeqvium, poſt mortem etiam deſiderium ſui conciliavit; memoriamqve hiſtoricis relationibus ſcriptisqve monumentis contentam, celeberrimam poſteris reliqvit, licet nihil eorum ad noſtra tempora pervenerit.

CAP. XVI.

Bodvar omiſſam à fratribus ultionem paternæ cædis qveritur. Avum de re geſtâ certiorem facit. De Reginâ veneficâ vindictam ſumit.

Bodvar maternâ apud avum educatione contentus, cæteris moderatior, indulgentiam parentum obſeqvii amorisqve invitamentum, non arrogantiæ irritamentum, interpretatus, vitam moresqve ad eorum præſcriptum virtutumqve regulam formavit, ut venuſtatem formæ, qvâ omnes antecelluit, corporisqve vires, animi dotibus vel æqvaret, vel ſuperaret. Interim matrem patris ſui nomen, genus, indolem, ſtatum fortunamqve prodere poſtulat: ut autem comperit monſtroſum fratrum habitum ab offis à matre vi adactâ devoratis pro-

ma-

manâſſe, ultionem nimis diu dilatam qveſtus; mirari ſe ait, Elgfrodium, ad qvem vindicta maximè pertineret, injuriæ paternæ ultionisqve juſtiſſimæ tam negligentem fuiſſe, naturæqve adeò perverſæ, ut teterrimum vitæ genus, innocentium hominum cædes latrocinia & rapinas iſti prætulerit: nec è dignitate ſuâ feciſſe Thorerem, qvod abiens veneficam inultam dimiſerit; ſuæ igitur ſorti ceſſiſſe ſumendæ ultionis pænæqve exigendæ provinciam. Mater maturandum hortata eſt, ne veneficiis præveniretur. Eâ igitur inſeqvente ad Regem pergit, omnem rei geſtæ ordinem à principio pandit, cauſſamqve qvod filius ejus Biornus tam ægrè ad adminiſtrationem Regni, abſente patre, adigi ſe paſſus eſſet; præviſam namqve mulieris petulantiam, libidinem immodicam, deniqve in abnuentem diras, veneficiorumqve vim inevitabilem: non enim fæminam, qvalem externus præferat habitus, ſed Trollorum generis unam, philtro facinatum obcæcatumqve Regem in ſui amorem pellexiſſe, qvæ unà cum matre adverſam legatis Regiis tempeſta-

tis vim exciviſſet, iisqve in ultimæ Finn-marchiæ oras compulſis, præſtigiisqve circumventis, formam, ſed fucatam, venditâſſet. Qvod ſi diſceſſum filii cum ſurrogato urſo computet, conſtare, utrumqve ſimul contigiſſe, & qvidem urſi adventum notitiam ſubitanei illius abitûs prævertiſſe: qvò tamen omnis omninô dubitatio Regi tolleretur, adeſſe teſtem, exanimem illum qvidem, ſed omni exceptione majorem, nec minis nec muneribus aut verborum lenociniis corrumpi aptum, annulum nempe, paternum in filium munus, qvem permiſſu Regis donatum deinde ſibi, excoriati urſi alæ ſiniſtræ mater extraxiſſet. Qvem monſtratum ubi Rex ingemiſcens agnovit, infortunium & calamitatem ſuam multis ſuſpiriis lacrymisqve qveſtus, annulum qvidem ſibi optimè cognitum reſpondit, ſubire etiam memoriam fæminæ ignotæ, ridiculum donum expetentis: & qvamvis indicia haut contemnenda ſuſpicionem ſuggeſſiſſent, qvod Regina fati tam inopinati, ſi non cauſa, certè tamen conſcia fuerit; amorem nihilominus, qvo im-

mo-

modico ipſam complexus fuerit, ne ab eâ dimoveri poſſit, ſe ab ſeveriore inqviſitione continuiſſe. Qvod ſi orbitati filii etiam uxoris adjiciatur, non tantum lucri in vindictâ, qvam calamitatis in novâ viduitate poſitum eſſe: Conſulendum itaqve ætati ſuæ adeò ærumnoſæ, & juſtæ nepotis iræ doloriqve, hoc temperamento, ut mulctâ qvam impenſiſſimâ conjugis pænam maritus redimat; offerre itaqve ſe nepoti pecuniam qvantam expoſceret, inſuper Comitis titulum diſtrictumqve, & poſt fata ſua ſucceſſionem in regnum. Ad hæc Bodvar reſpondit, & ſe ſortis illius miſereri, & medelam protinus allaturum; videre, qvanto teterrimi propudii faſcino irretitus teneatur, Regii faſtigii oblitus, cui necem innocentis civis inultam pati, turpe eſſet; eundem ad filii parricidium connivere, & ſceleratiſſimi facinoris pænam auro redimere geſtire, uxorem mæcham in ſui civiumqve opprobrium novo fædere ſibi ſociare, veneficæqve ſocietatem mercari; ſcilicet ut ſe, tanqvam omnium ſcelerum conſcium, & participem vel incentorem

necis filii, ſuſpectum execrandumqve, non civibus modò, ſed omnibus populis ſeræqve poſteritati reddat. Cumqve in morâ maximum periculum Bodvar, jam duo de viginti annos natus, reputaret, confeſtim ad Reginam inqve cubile illius properavit; ſecuræ & inopinanti ſaccum pelliceum induit, extractamqve per plateas verberibusqve cæſam ſaxis illiſit, qvo ſupplicii genere male mulctata periit, immenſo civium gaudio, pœnam tamen ſceleribus longe minorem exactam indignantium. Solus Rex tanqvam lectiſſimam conjugem luxit, illius tamen patrocinium ſuſcipere, pænæve eam ſubducere non audebat; veritus tumultum populi, atrocitatem ſceleris, cæteroqvin in vindictam filii propenſi, exſecrantis; nec longo poſt tempore mærore confectus obiit. Hæres Regni Bodvar avo ſucceſſit, verum ditionem, animi amplitudine longè anguſtiorem, faſtidiens, Valsleito, qvi Comes erat, clientelari jure commiſit: cujus etiam fidem, matre in conjugem datâ, arctiſſimo affinitatis vinculo ſibi devinxit; nuptiisqve inſuper cele-

bra-

bratis confirmavit, ipſe in remotas regiones conceſſurus.

CAP. XVII.

Bodvaris gladius deſcribitur. Ipſe fratrem Elgfrodium convenit. Cum eo acriter colluctatur. Hauſto ex ſurâ pedis ejus ſanguine corroboratur. In Gothiam vadit. Ibi loco fratris accipitur. Iter ad Regiam Hrolfi meditatur.

His ex animi ſententiâ peractis, itineri ſe acclngit, ac primò antrum monſtrante matre petens, munera à patre relicta recipit, enſemqve nomine Lövium, qvem ſtupendæ fratrum vires avellere neqvibant, ſtatim ut attigit, non

jam ut antea fixum, nullo negocio tollit: qvi ſingulari nobilitate, inſigniqve arte fabricatus, his cautionibus obſervandus erat: ſcilicet, ne unqvam niſi momento in humanam cædem, neve manubrio deorſum verſo, evaginaretur, ter geſtantis ætate fixus, niſi provocatus ſtringi neqviret. Omnibus fratribus illius poſſidendi cupido inceſſit. Vaginam poſtea frater Elgfrodius, qvâ condi poſſet, acernam fabricavit. Viaticum exiguo auri aut argenti pondere conſtabat; veſtis, eqvus & arma conſpiciebantur, qvorum ſingularis nobilitas eminebat: & eqvus qvidem pernicitate, glomerandisqve greſſibus, inter præcipuos inſignis, qvo vectus, parvo temporis ſpatio longum iter emenſus, ad fratrem Elgfrodium pervenit. Abſentis & in obſidendis viis occupati fratris tecta ingreſſus eqvo ſtabulo applicato, locum occupat honoratiſſimum, adventum fratris, velata tegmine capitis facie, exſpectaturus. Qvi ut hoſpitem temeritatis raræ, penatibus ſuis nec invitatum, nec veniam præfatum, ingreſſum animadvertit, eqvumqve

in

in ſtabulum deduxiſſe, ſummumqve cepiſſe locum, nec advenienti ſibi aſſurgentem, truci vultu intuitus eſt: qvod Bodvar tamdiu diſſimulando ſuſtinuit, donec eqvorum de ſtabulo acriter certantium hinnitus & prælium audirentur. Tum Frodius: hunc hominem, qvi absqve veniâ in meas ædes ſe intruſit, admodum audacem & temerarium eſſe oportet. Bodvar pileo velatus, ne voce proderetur, nihil repondens, ulteriora exſpectavit. Bis ergo Frodius frameam diſtrictam vaginâ iterum condidit, ad qvæ terriculamenta ut advenam immotum comperit, metûs expertem interpretatus, vibrato ictu, tanqvam medium diſſecturus, adortus eſt. Igitur Bodvar indubiam mortem minimè exſpectandam ratus, è ſede disſiliens, in eum magno fertur impetu. Fit longa acrisqve lucta, altero acerrimè impugnante, altero fortiſſimè propugnante, donec pileus Bodvaris excideret. Ut vero fratrem ex facie agnovit, magnâ lætitiâ perfuſus, fraterno amore complectitur; teſtatus, nimis diu inter ſe certamen productum, luctuoſum utriqve finem

 nem

cem longius extractum allaturum. Bodvari dubiam victoriam futuram regerenti, reſpondit: admodum viribus impares certare, cum multa illi deſint, ut in illâ parte ſe æqvare poſſit, petivit deniqve ut ſecum permaneret; dimidium partarum opum pollicitus; qvod Bodvar abnuens, abhorrere ſe ait à nefandis innocentium cædibus & rapinis, opibusqve ſcelere partis. At ſe multis egenis & alimentis debilibus uſuram vitæ conceſſiſſe Frodius reſpondit. Melius facturum ſi eam nulli eriperet, Bodvar regeſſit. Ad hæc Elgfrodius: haud eqvidem, inqvit, diffiteor, indolem meam à teneris, veluti furiis, neſcio qvibus, actam, à mitiore vitâ & humanioribus ſtudiis abhorruiſſe. Qvod autem durior hæc natura conſeqvi neqvit, ad id velim te, mi frater, cui benigniores Dii ſtaturam, non modo humanam, ſed etiam inter homines elegantiæ miræ, naturam etiam à feritate alienam, optimorum morum capacem, commerciorum non hominum modo, ſed inter homines humaniſſimorum ſtudioſiſſimam, indulſerunt, omni operâ niti.

In-

ngenii autem corporisqve vires cum lluſtribus hominibus converſando ma-ımè excolas : itaqve ſvadebo, ut ad Irolfum Regem Helgii filium, qvi fulgo-e Majeſtatis ſuæ omnium ſui ſeculi Re-gum principumqve faſtigium obſcurat, e conferas : ibi namqve principum & præcipuorum pugilum collegium conſe-diſſe ſummâ cum admiratione perhibent, qvotqvot veram aulæ & imperii illius ſpe-ciem ceperunt : verum qvantumvis ſpi-itus altos geras, tamen vereor, ut cor-poris robore heroibus illis æqvalis, con-greſſum eorum ſuſtinere valeas. Cujus ei experimentum capturus, reſiſtentem ratrem circumegit, infirmiorem prædi-cans, qvam ut examini eorum ſubmitti poſſit. Itaqve ſectâ ſibi in ſurâ pedis ve-nâ, ebullientem liqvorem exhaurire juſ-ſit, qvo epoto, iterum eum adortus, cum ne loco qvidem movere poſſet, profuiſſe ei potionem, nec jam dubium qvin ſingu-los Regis pugiles robore præſtaret, id enim ſe præoptaſſe, ait. Deinde altero pede ad talos usqve rupi impreſſo, veſti-gium

gium ingens reliqvit & huc, inqvit, qvo
bet matutino tempore veſtigium ſcrut
turus concedam, inde mortis tuæ indi
cium capturus: repletum terrâ, mor
te in fata conceſſiſſe; aqvâ, undis abſo
ptum; ſangvine, ſangvinariam morte
oppetiſſe nunciabit, monebitqve offic
ultionis exeqvendæ, cum te præ omn
bus qvam impenſiſſimè diligam. Hi
peractis, mutuò ſe invicem ſalutantes ſe
parantur; Bodvare iter propoſitum in
grediente. Fabuloſa qvidem hæc, ſe
aliis pariter fabuloſis ſe tuentur. De po
tionibus Hadingo & Hialto vires concili
antibus, & expreſſâ in rupe dormienti
Starcatheri effigie Saxo prodit. Hiſtori
qvoq; Olafi Triggvini de veſtigiis ejus mi
litumqve in inſulæ Moſturis cautibus con
ſpicuis fidem exſuperantia memorat
Nec ego horum fidem aliis commendo
ſed nudas relationes expono. Bodva
iter inceptum maturans non prius reqvi
evit, qvam in Veſtro-Gothiam, in re
gnum fratris Thoreris Hundsföti ſe
Canipedis pervenit. Adeò natura gem
norun

orum illorum vultus, corporisqve effi-
iem, modum, lingvamqve ſibi invi-
em ſimilia formaverat, ut hunc pro ſuo
ege, qvi tunc abſens in conſvetis expe-
itionibus occupabatur, omnes cives, &
ſa qvoqve Regina, agnitum colerent,
egiisqve honoribus proſeqventes in ſo-
o Regio collocarent, lectoqve Reginæ
ociarent, Thorerem Regem rediiſſe ra-
i. Qvi cum lectum cum Reginâ com-
nunem haberet, ſtraguli tamen commu-
ionem recuſavit: qvod admirata Regi-
a ut fratrem mariti agnovit, deceptos
pecie miniſtros Regium ei honorem ex-
ibere permiſit, ne errorem iis eximen-
lo qvicqvam de ultro oblato honore &
bſeqvio detraxiſſe videretur. Miran-
lum tamen qvomodo Regem absqve ſa-
ellitio redeuntem, ne famulo qvidem
tipatum, veſte etiam forte differentem,
oc tenore, niſi forte bello victus ſalu-
em fugâ redemiſſet, rediiſſe perſvaſi ſint.
odvar Reginæ lecti ſocius tempus ad ad-
entum usqve fratris protraxit: qvem
edeuntem uti agnoverant, fratremqve
nultâ caritate complexum viderant, ipſi
erro-

errorem ſuum mirati ſunt. Rex optimè illi imaginis ſimilitudinem ceſſiſſe gaviſus, ſoli illi locum lectumqve cum Regina communem ſe concrediturum reſpondit. Maturanti deinde abitum Bodvari partem mobilium omnium dimidiam obtulit, ſi apud ſe permanere vellet, qvod ille magnâ cum verecundiâ recuſavit, nec minus frater poſtulare inſtitit, ut oblatum Regium munus acciperet, arbiterqve habitationis ſuæ ipſe foret, maneretqve ubicunqve locorum colliberet, ſatellitio præterea ſe inſtructurum pollicitus. Verum nihil horum accepit. Actis ergo qvam impenſiſſimè gratiis, nullius ſe indigere præfatus, licuiſſe ſi placuiſſet aviti Regni ſceptra, opesqve, qvas penè omnes reliqverit, apprehendere. Cæterum malle ſe opes propriâ induſtriâ, editis majoribus ſuis dignis facinoribus, gloriamqve nominis immortalem comparare, qvam avitas fraternasqve fortunas conſumere, ſummam voluptatem reputare, fratrem opibus abundantem, regnoqve ampliſſimo auctum ornatumqve videre, non ut inde illo vivo qvicqvam decerperet

Cum

Cumqve in recuſandis muneribus adeò obſtinatum fratrem Thorer animadverteret, tandem eum in viam honoris gratiâ comitatus dimiſit: nec legitur qvicqvam notatu dignum in itinere accidiſſe, priusqvam in Daniam, non procul ab urbe arceqve Hleidrenſi, ventum eſſet.

CAP. XVIII.

Bodvar in itinere ab Hotti parentibus hoſpitio excipitur. Hrolfi Regis aulam ingreditur. Hottum liberat. Aulicorum unum oſſis jactu interimit. Satellitio adſcribitur

Ingentes forte imbres per id tempus continuis diebus noctibusqve decidentes, vias liqvore emollitas prope inexplicabiles reddiderunt. Has peragrando eqvus tandem defatigatus, appetente nocte,

nocte, intendentibus ſe tenebris, lapſurus forte nutabat. urgebat peregrinum viarumqve ignarum larga inſuper pluvia: deſcendens igitur eqvo tugurium qvoddam offendit; unde pulſatis foribus egreſſus ſenex, hoſpitem ad ſe ut divertat, ſole jam occiduo, benignè invitat, hoſpite igitur introducto eqvoqve pabulis miniſtratis, focoqve accenſo, cænam pro facultate lautam paravit; Bodvarem namqve inter ſummi ordinis viros ex præſtanti corporis formâ judicabat. Multa ſuper Rege famulitioqve & aulæ ſplendore, ejusqve à tugurio diſtantiâ cum Bodvar rogitâſſet, non procul inde ſitam, ſed conſpectum ejus tenebris interceptum cognovit. Interrogans deinde ruſticus, num & illuc tenderet? affirmanti ſubjecit: corporis qvidem iſtius compagem, membrorum moli congruentem magnitudinem, lacertorum nervorumqve congeriem, ingentem roboris meſſem polliceri, invitamentum præcipuum ad aulici ſatellitii receptum. His auditis uxor obortis lachrymis acriter lamentari cæ-

pit,

pit, Bodvariqve cauſſam tanti ploratûs reqvirenti reſpondit: filium viro ſibiqve communem prolem, nomine Hottum, animi cauſſâ aulam Regiam acceſſiſſe, ruri educatum & admodum adoleſcentem, moribus ejus jocisqve inſvetum, ludibrio expoſitum fuiſſe: qvod cum nec diſſimulando ſuſtinere, nec facetiis retorqvendo eludere ſciviſſet, iratum agreſtiusqve ſe gerentem magis aulicos in ſe provocâſſe. Conjectum itaqve in ſtruem oſſium, medio triclinii pavimento jacentem; oſſibus obrui ſolere, nec ſatis ſibi conſtare, an ſuperſtes adhuc ſit, nec ne: aliud hoſpitii præmium non expeti, qvam ſi fortè minaci in dies morti ſubtractus, in adventum ejus vitalem auram trahat, ſaltem ne majoribus oſſibus eum feriat, qvod ſi minora forte jaciat, ictum tamen temperando parcat imbecilli; tales enim lacertos ejus ſibi videri, ut qvos miſſile inde jactum collineet, iis iteratum ictum ſuperfluum futurum. Bodvar compotem illam voti futuram pronunciavit; mirari tamen, aulam exteris nationibus celebratam, tantâ morum bonorum labe

H defe-

defectuqve laborare; nec fortium virorum ingenio convenire, debiles, & qvæ humilia ſint, opprimere. Transactâ deinde nocte, cum jentâſſet, diſceſſit, & ad aulam Regiam, undiqve conſpicuam, ſe contulit; eqvoqve, nullius veniam præfatus, inter Regiorum optimos ſtabulato, triclinium ingreſſus, locum à januâ proximum occupat; paucis è famulitio præſentibus, nec advenam vel excipientibus, vel ab eo qvicqvam ſciſcitantibus. Ibi cum horulam moratus eſſet, vidit intra oſſium congeriem vivum qviddam, qvod, commota ſtrue, paulo poſt manum ſitu ſordibusqve ſqvalentem exeruit. Mox hoſpitis filium Hottum conjectans, cujus rationem in libramine oſſium habendam mater ſuggeſſiſſet, manu ejus apprehenſâ, qvid intus lateret interrogavit: qvi magno metu correptus; optime Bocki, inqvit, Hottus ego ſum: parce qvæſo, nam caſtellum molior: Et qvidem miſeriarum, ſubſumſit; extraxitqve invitum & ejulantem, qveritantemqve jacturam munitionis, multo tandem labore eò perductæ, ut ab ictibus ſe protegendo magnam

par

partem ſufficeret: parum ad operis perfectionem defuiſſe, qvò in poſterum omni ab oſſibus imminente metu liberatus, ſecurus à jaculis, jaculorum vallo ſeptus, intra ipſa jacula tutus habitare poſſet: Tu verò, mi Bocki, inqvit, cur me miſellum turbas? liceat iterum munimentum ſubire. An occidere properas? Bodvar talia caſtella in poſterum nunqvam ædificaturum interfatus, lamentantemqve increpitans, extra portas ad aqvam, in receſſu abditam magis qvàm ut omnium oculis conſpici poſſet, exportabat: ibi veſtibus nudatum à capite ad calcem limpidâ lavit, iterumqve in aulam deducit, lateriqve ſuo applicat; ipſe in locum qvem primò occupaverat, regreditur. Hottus autem, qvamvis pavore propè exſternatus, intellexit tamen, auxilium ibi hunc virum, qvem dictante metu Bokium (id eſt Virum magnum) appellait, non perniciem machinari. Aderat cœnæ tempus. Ingreſſi triclinium ſatellites, inter accumbendum animadvertunt, Hottum è carcere ereptum, qvem ipſe muniverat, aſſidere raræ molis advenæ.

 In

In utrumqve ergò indignabundi oculos contorqvent, amentis temeritatis virum ducentes, qvi tantum facinus in tanti nominis aulâ auſus eſſet. Tum verò formidine prope exanimatus Hottus reditum in caſtrum meditatur. Agnovit qvippe omnes, qvi ſe miſſilibus oſſibus carne nudatis obruere conſveverant; qvorum iram qvovis modo ſubterfugere præoptabat. Verùm haut minor metus inceſſerat pænæ, ſi à latere liberatoris aufugeret; nec fugæ via facilis erat adeò trepidanti, ut ne famem qvidem ſitimve levare auderet: lateri inſuper ſuo Bodvar eum velut affixum tenuit. Interim ab aulicis more ſolito leviora oſſa per transverſum pavimentum in utrumqve projecta Bodvar ſe animadvertere diſſimulavit. Id moderationis argumentum terroris notam cum interpretarentur, qvidam graviorum oſſium jactu, an metus ſubeſſet, ulterius exploraturus, coxendicem nudam, pedi connexam, magno jactu in eos torſit; qvam expaveſcens Hottus magnâ voce exclamans, confeſſorem monuit volare coxendicem, certum exitum collineato

alla

allaturam. Bodvar, Hotto conticere juſſo, eandem volâ exceptam in jaculatorem tantâ vi retorſit, ut protinus mortuus concideret: qvo caſu conſternati convictores, ad Regem & primores illicò deferunt, advenam execrabilem, nemini cognitum, Regium triclinium menſasqve ſatellitis Regii ſangvine cædeqve conſperſiſſe; orantqve, ut tantum & tam inauditum ſcelus, intra mœnia caſtri tricliniumqve Regium, gravi exemplo & ſine dilatione vindicet. Rex, an innocens cæſus eſſet, qvæſivit: Sodales, maximam partem, reſponderunt; unde anſa ulteriori inqviſitioni data. Ut verò rem, ſicut geſta erat, cauſſamqve cædis percepit, negavit crimen capitis hoſpitem commiſiſſe. Etenim vos, inqvit, perverſum morem, ſæpiusq; vetitum, in aulam meam introduxiſtis, innocentes homines oſſibus obruendo: unde Majeſtatis contemtus domi, foris etiam infamia ſeqvitur, habemurqve tales, qvi legibus & pænis talem petulantiam coëcere, aut latarum legum, noſtræqve adeò Majeſtatis, decus vindi-

 care

care ſuperſedeamus, otioſi ſpeculatores approbatoresqve injuriarum, magis qvam juſti & ſeveri vindices. Sed videmini mihi hoſpitem, virum profectò veſtrâ opinione majorem, irritâſſe; eum igitur ut videam huc arceſſite. Accitus ergò Bodvar actutum comparuit, Regemqve venerabundus ſalutavit. Qvem Rex ut primùm vidit, animi excelſitatem ex indiciis penſitans, corporisqve vires ſtaturâ moleqve & membrorum magnitudine metiens, illico ejus deſiderio captus, dimittendum minimè cenſuit. Nomen igitur qværenti reſpondit; Bodvarem ſe proprio nomine dici, Hotti ſervatorem aulicos ejus vocare. Rex iterum, qvâ ſatisfactione homicidium redemturus eſſet, qvæſivit. Ille innocentem non occidiſſe, ſed qvod meruerit repoſuiſſe ait. Rex, num ſibi militando numerum ſuorum ſatellitum augere, occiſiqve vicem ſubire liberet, qvæſivit. Bodvar ſatellitium neqvaqvam abnuere, modò Hottus unà admittatur nam haut facile à ſe ſeparari poſſe, ſed communem utriusqve ſortem futuram

ne

nec tamen loco æqvè humili contentos fore atq; is erat, qvi oſſis jactum neqve ſuſtinere neq; declinare poterat. Adhæc Rex reſpondit, Hottum qvidem ſibi honori haut futurum videri; victum tamen illi hautqvaqvam negaturum. His dictis Bodvar ad ſedem occupandam, ubi viſum erat, proceſſit; tribusqve loco detractis, & qvidem ex ſuperiore qvàm præceptum erat, claſſe, ipſe Hottusqve ſucceſſit. Hæc omnia in Bodvarem aulicorum invidiam odiumqve concitârunt.

CAP. XIX.

Bodvar lamiam in feram transfiguratam occidit: Cujus ſangvine hauſto Hottus repentè viribus auctus inſignis Athleta evadit. Virtutis ſpecimen præſente Rege edit. Gladium Gullinhialtium præ-

mii loco accepit. Hialtii nomen aſſumit.

Imminente feſto Jolenſi, commilitonum animos, tanqvam exſpectatione ſubiti alicujus mali, ſolito magis ſuſpenſos langveſcentesqve Bodvar animadvertit. Cauſsâ tantæ conſternationis reqviſitâ, cognovit, Hotto referente, qvod duobus proximè præcedentibus annorum ſuperiorum feſtis, ingens & horrenda fera monſtroſæ formæ, alis duabus & qvatuor pedibus conſpicua (qvâ deſcriptione velocitatem poëtas adumbrâſſe credibile eſt) armentis & pecori Regio admodum infeſta, conſpecta fuerit; qvæ ictus omnes, etiam acutiſſimorum enſium, refutaret. Hujus reditum jam aulicos omnes metuere; nec id temporis præſentem eſſe potiſſimam ſatellitum & pugilum manum, præliis neceſſariis alibi diſtentam. Valdè ſe deceptum famâ hujus ſatellitii, qvod toto Septentrione glorioſiſſimum prædicatum ſit, Bodvar qveſtus eſt, cum ad unius feræ, licet omnium ferociſſimæ, exſpecta-

ſpectationem animos deſpondeant: neqvaqvam tamen feram eſſe Hottus ait, ſed lamiam in monſtroſam ſpeciem ſe transfigurantem. Primo appetentis feſti veſpere edixit militibus Rex, ne qvis inſeqvente nocte domo egrederetur, ne fortè exitiali belluæ præda fieret; ſæviret modò in pecora, iisqve inexplebilem rabiem gulamqve ad nauſeam usqve ſatiaret. Omnes imperio ſe audientes fore polliciti ſunt. Verum Bodvar ingenti gloriæ cupidine flagrans, concubiâ nocte mandatum transgreſſus eſt. Inde extra arcem progreſſus, Hottum aſſumſit, qvantumvis recuſantem, metuqve prope exanimatum, nec incedere ſufficientem, ſed magno planctu qveritantem, in præſentem mortem non eum ſolum ruere ſed etiam ſe comitem, comunisqve necis ſocium, ducere, qvem ulnis ſuis portans, bono animo eſſe, eventumqve ex animi ſententiâ expectare juſſum, ad perſeqvendam belluam properabat, nec longè diſtantem offendit. Tum verò ingenti metu exterritus Hottus lamentabili voce periculum

culum deplorabat. Eo igitur dimiſſo, gladium diſtricturus in belluam fertur. Tum primum, imminente ferâ, gladius ſtringenti parere recuſavit, donec ex provocatione, forſitan etiam adhibito exorciſmo, ſolveretur: qvo vibrato, impetum inſilientis beſtiæ, mucrone intra armum penetralibus cordis adacto, ſtitit; qvæ tanto vulnere ſaucia, illicô mortua concidit. Tantâ victoriâ partâ ad Hottum regreditur; qvem in ulvâ paluſtri deliteſcentem, nec ad aulam remeare, nec exſurgere auſum, extremeqve trepidum manibus ſublatum, adqve recenti cruore madentem belluam transportatum, ad egeſtum ſangvinem calidum hauriendum adegit, renuentemqve duos hauſtus epotare, offasq; ferini cordis aliqvot exedere compulit: qvo peracto diu cum eo colluctatus; In tantum, inqvit, derepente vires tibi auctæ ſunt, ut neminem aulicorum dehinc tibi formidandum exiſtimem. Hottus neqve illorum ullum, ſed nec eum qvidem ipſum amplius ſe metuere regesſit. Gaviſi uterqve tam ſalubris potionis

nis refectu, feram collapſam in viventis ſpeciem erigunt, domumqve & lectum, tanqvam nusqvam digreſſi, petunt. Hanc beſtiam Urſum fuiſſe Saxo Lib. II. tradit; locum verò, ubi transfixa ſit, omittit. Verùm in Sialandiâ, utpote inſulâ ſpatioſæ latitudinis, oceano undiqve cinctâ, illud animalium genus minimè proſtat. Matutino tempore qvæſivit Rex, an feram, feſti illius jam per biennium immodicum nimis hoſpitem, rediiſſe qvisqvam cognoverit? Reſponſum eſt; neminem vidiſſe; pecora etiam præter morem intra ſepta illæſa permanere. Miſſi igitur qvi ulterius inqvirerent, oppidò redeuntes, citato gradu aulam petere nunciant: excitis ergò ſatellitibus, ut pro virili qvisqve in moleſtâ monſtrosâqve bellua tollenda niteretur, imperabat. Illi alacres arma capiunt; verùm ſive metus, ſive nimius ardor edendi in conſpectu Regis ſuæ cuiqve fortitudinis ſpeciminis, feræ currentis ſpeciem oculis eorum repræſentaverit; conſtat tamen ſoli Regi immotam viſam. Ait itaqve: præmium qvemlibet cæsâ ferâ promeriturum video,

deo, mihi tamen ſpeciem non curſum intendentis, ſed eadem veſtigia prementis præbere videtur. Cui Bodvar reſpondit: eqvidem magnæ molis rem arbitror cum ferociſſimâ belluâ congredi, qvod niſi veriti eſſent qvi jam in procinctu ſunt, dudum & absqve longiore morâ, in occurſum illius progreſſi eſſent. Tuum igitur erit, ô ſocie, (Hottum alloqvitur) calumnias inimicorum refutare, qvi te tanqvam imbecillem, timidumqve & nauci hominem hucusqve contemſerunt: nec amplius ſuſtinere, tanta probra & de te dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli. Accelera igitur cæteris cunctantibus, manusqve cum hac beſtiâ ſolus conferre minimè dubita; objectamqve ignominiam tanti nominis facinore dilue, virtutemqve ſub ſordido palliolo diſſimulatam latuiſſe demonſtra. Hottum ſe paratum affirmantem intuitus Rex, neſcire ſe ait, unde tanta magnanimitas, mutatioqve ſubita: qvod ſi qvandam conjecturam afferat tacita hominis figura, aut illum eundem Hottum non eſſe qvem Bodvar liberaverat, aut jam Hottum illum exuiſſe, aliudqve

qve

qve ingenium induiſſe. Tum Hottus; dato mihi, inqvit, ô Rex, gladium Gullinhialtium, iſto enim feram cunctis formidandam periculi ſecurus conficiam. Rex, nemini gladium illum idoneum eſſe, niſi ſolis Principibus & excellentis fortitudinis heroibus. Talem igitur me concipe, ait Hottus. En gladius, ait Rex, & ſimul Hotto porrigens, qvod benè vertat, inqvit; etenim breve conſtabit, qvid hæc tam repentina portendat mutatio; nam non meis ſolius oculis, ſed conſpicientium omnium, hac ipsâ nocte tibi diſſimilis factus videris: i fauſtis avibus, & qvod ſuſcepiſti feliciter perfice. Hottus, actis pro dono gratiis, intrepidus beſtiam adortus, primo ictu ſtravit, inqve terram præcipitem dedit. Tum Bodvar: vides, inqvit, ô Rex, qvanto & qvam illuſtri documento virtutis ſuæ primum ſpecimen dederit. Rex adhæc reſpondit; fateor illum heroico ſpiritu recens afflatum, feram tamen tuo, non illius, gladio occidiſſe animadverto. Bodvar non eqvidem eum conjecturam fallere reſpondit. Qvam

pri-

primùm, ait Rex, ſub conſpectum veniſti meum, tantum virum te qvidem animadverti, qvem pauci vel animi vel corporis viribus æqvent; illud ita ſe habere viciſti: hoc verò excedit, qvod ingenium deſperatum in fortiſſimum virum, nauci hominem in heroem momento converteris: proinde mutatus homo nomen etiam mutabit, Hialtiusqve in poſterum nomen à gladio Gullinhialtio contractum uſurpabit. Circa hæc tempora Saxo innuit, Agnarem qvendam Regis filiam uxorem duxiſſe, eundemqve à Bodvare ſublatum; qvod qvâ cauſsâ factum ſit ipſe exponit: Ipſe qvoqve Bodvar in epilogo vitæ ſuæ, qvem noviſſimè pugnaturus recitavit, inter cætera etiam occiſi Agnaris laudem ſibi tribuit. Supplet itaqve Saxo hanc hiſtoriæ noſtræ lacunam: differt tamen eo, qvod Sororem Regis Rutam in matrimonium duxiſſe tradat. Noſter filiam Regis nomine Driſam memorat, ut poſtea dicetur.

CAP-

CAP. XX.

Berſerkorum inſolentia reprimitur. Ordo præcipuorum Athletarum. Rex Hialtio Generoſi cognomen indit. Bodvar ad expeditionem Svedicam Regem hortatur.

Feſto Jolenſi appropinqvante, cum reditus Berſerkorum ſperaretur, mores illorum præcogniturus Bodvar à Hialtio didicit; aulam ingreſſos à Rege qvæſtionem ordiri, orſamqve ad ſingulos per circuitum pertexere ſolitos; an tantam ſuæ virtutis fiduciam habeat, ut ſibi comparari velit? Regem verò inſignis utilitatis ab operis eorum redundantis ratione habitâ, cæteris aulicis, ne rixæ oriantur, moderationis, non ignominioſæ confeſſionis, exemplo reſpondere conſvetum: conſiderati hominis eſſe,

ſe, vires facultatesqve ſuas probè diſpicere, anteqvam tantorum virorum, geſtis terrâ mariqve clariſſimorum, gloriæ communionem ſibi aſſerere geſtiat. Moderationem Regis omnes ſatellitii cohortes, illis palmam deferendo, imitari. Iterum, inqvit Bodvar, hujus ſatellitii famam gloriamqve meritis majorem animadverto, ſi nullus contra Berſerkorum inſolentiam hiſcere audebit, eamve compeſcere. Secundi feſtivi Jolenſis diei veſpere, omnibus palatii Regii Januis ſubito impetu adapertis, inferebant ſe duodecim viri cataphracti, loricis atqve galeis, cæterâqve armaturâ, comminutæ glaciei colorem referentibus, conſpicui: longo deinde ordine permeantes obſervant novis athletis ſatellitium auctum, unumqve cæteris compactiorem. Hic qvantumvis pompoſè ſuperbeqve incedenti primipilo terrorem tamen, licet diſſimulatum, primo ſtatim conſpectu incuſſit; qvem malè tectum facies repentè mutata prodidit: Verùm nihilominus ſeqventibus cæteris ad Regem pergit; qvo pro more ſalutato, conſvetam proponit qvæſtionem, reſponſumqve

ſumqve pro arbitrio Regis, ad interrogantis ingenium temperatum reportabat. Poſtqvam eadem qvæſtio per ſingula capita univerſum triclinium pervagata modeſtis reſponſis excepta eſſet, ad Bodvarem & Hialtium, utpotè noviſſimè in collegium aſcitos, pervenit. Prius Bodvar Hialtium tacitè interrogavit, an proxime ſuccedentem invadere auſit? ille autem reſpondit, non illum ſolum, ſed & univerſos; nam ereptam ſibi jamdudum, etiam adverſus majorem vim, omnem metuendi rationem. Berſerko itaqve Bodvar reſpondit: mirum, illum qværere, an ſibi, utpote porco ignobiliori, ſcilicet eqvâ matre nato, par haberi velit: dedignari namqve ſe in comparationem cum illo venire, placeat modò experiri; Marte ſe vel morte confeſſionem ei victoriæ expreſſurum. exſiliensqve loco, magnoqve ardore invectus, protinus eum ſtravit; parumqve abfuit, qvin pes vel oſſium unum frangeretur. Conſimili modo proximè ſeqventem Hialtius exortus eſt. Inde ſtrepitus ingensqve murmur totam aulam pervaſit. Rex metuens,

ne inteſtinum intra parietes prælium multorum ſatellitum necem ſecum traheret, ſolio deſiliens pacem imperavit. Bodvar occiſurum ſe minatur, ni inferior haberi velit, victumqve ſe confiteatur. Rex autem rem eſſe exploratiſſimam conteſtatus, Berſerkum ſolaturus, non eſſe ait ignominioſum majori cedere, nec iniqvo ferendum animô licet qvis ſe potiorem alium videat. Amicos proinde eſſe jubet; Bodvari primatum adjudicat, diſſidiumq; & injurias mutuas ſatellitibus ſuis capite luendas pronunciat: in hoſtes iras, impetus, cædes, cladem, rabiemqve vertere; inter ſe amicitiâ mutuâqve benevolentiâ certare jubet. His auditis omnes qvotqvot aderant, venerabundi Regem circumſiſtentes ſucclamârunt, ejusqve juſtitiam ſimul & clementiam & moderationem in cælum laudibus efferentes certatim gratias egerunt; Berſerkiqve cum Bodvare & Hialtio concordiæ inviolabilisq; amicitiæ æterna fædera, qvæ tamen poſtea rupta ſunt, ſanciebant. Sedes in aulâ Regiâ (haut eqvidem ex ſeculi iſtius more) diſtinctæ perhibentur hoc

enore: Proximus Regi Bodvar dexterum
lauſit latus; ei à latere Hialtius ſedebat;
ui Rex Generoſi cognomen jure merito-
ve ſuo indidit, qvod tanta eſſet magna-
imitate præditus, ut illatas pridem inju-
ias, cum poſſet absqve ullo pænæ metu
indicare, plane neglexerit, cumqve iis
votidie converſaretur, à qvibus erat in-
ſtè laceſſitus; ſæpiusqve Rex id ipſum
miratus fertur, qvod ne unum qvidem
cidiſſet, aut aliqvo modo ſe ultus eſſet.
oximè ad ſiniſtram Regi aſſidebat tri-
fratrum; Svipdagus, Beigadus, & Hvit-
kus, eò dignitatis incredibili fidelitatis
fortitudinis cæterarumqve virtutum
erito provecti. Eos excipiebat ordine
rſerkorum dodecas, reliqvorumqve
oum, qvorum nomina hîc non refe-
tur: cohortes ab utroqve latere dein-
s univerſum caſtrum replebant. Diver-
iisqve ingenioſis, ludorum generibus
qvotidie exercebant, omnes tamen
lvar præſtitiſſe perhibetur, tantamqve
dmirationem reddidiſſe, ut ei Rex fi-
ſuam Driſam matrimonio jungeret.
torum ergò virorum miniſteriis ſti-

patus Rex, domi reliqvâ hyemis parte tranſactâ, invictus habebatur. Feſtivus interea incidit dies, qvem Rex, adhibito ad convivium univerſo Athletarum collegio, magnâ pompâ celebrat; procedentibusqve epulis, inter pocula, creſcente hoſpitum ebrietate, gaviſus ſibi, qvod è tantis heroibus præſidium corporis ſui conſtaret; elatiorqve viſus qvæſivit à Bodvare, an alium Regem tam inſignium pugilum heroumqve ſatellitio inſtructum cognoſceret? qvi reſpondit: Utut omnium Regum magnificentiam, potentiam, gloriam, fortitudinem, aulicorum ſplendore, militum robore, geſtorum famâ, periculorum contemtu, qvod facis, excedas; reſtat tamen non minimum ad felicitatis Regiæ perfectæqve gloriæ complementum. Rex, qvidnam deſideraret, qvæſivit. Ut gloriam Majeſtatemqve tuam vindices, ait: nam qvousqve permittis vicinum vitricumqve tuum, Adelſem Speciæ Regem, patrimonium tuum, theſauros nimirum patri tuo fraude nefandoqve ſcelere ereptos, impunè uſurpare, ſuſpicionem præbes imbecillitatis, metus-

tuſqve non exigui, tacitæqve confeſſionis, qvod invalidus ſis rebus tuis à tanti nominis Rege repetendis. Arduum ſane opus, inqvit Rex, ſuggeris: non qvod ſupra vires foret, ductu auſpicioqve meo, induſtriâqve veſtrâ, omne qvod noſtri juris injuſtè retinet vel invito extorqvere, ſi virtute tantum ab utrâqve parte certandum eſſet: nunc verò cum incantatorum omnium magiſtro, fraudumqve ingni architecto, uno verbo, peſſimo homine, non dicam Rege, res eſt. Bodvar demum veram laudem & immortalem loriam mereri affirmat, qvod ſummè fficile; omnibusqve aliis deſperatum deatur. Id qvod Rex ſibi qvoqve proıri teſtatus eſt. Omnes conſilium Regis llaudabant, inqve expeditionis ſocietam aſciſci pro ſe qvisqve certabat.

CAP. XXI.

egis in Sveciam iter. Hraiius eum & comitatū ejus oſpitio bis excipit. Prodigioſo

gioſo frigore primùm, inde urente ſiti, mox æſtu immodico eos exercet. Ejus ſvaſu Rex univerſos comites, athletis exceptis, domum remittit.

Non longo poſt tempore periculoſum iter, glorioſo magis qvam numeroſo comitatu ſuſcepturus, centum militum, athletarum duodecim, totidemqve Berſerkorum agmine, veſte armisqve magnificè inſtructo, Svéciam petivit. Nec qvicqvam in progreſſu notatu dignum contigiſſe memoratur, priusqvam ad villam qvandam perventum eſſet. Aſtitit ante fores ruſticus, ruris dominus, nomine Hranius, alacritatem vultu, civilitatem geſtu, comitatem verbis præferens, qvi Regem decenter, blandoqve & affabili ſermone ad hoſpitium invitavit. Rex, num comitum etiam numerum eqvorumqve rectè perpenderit, qværit; etenim

nim ruſticorum plurimorum ſparſa rura (ut villam ipſius animadvertat) incolentium facultates reiqve familiaris conditionem excedere tanti comitatûs receptum. Subridens colonus, vidiſſe qvidem ait, nec illud ſemel, collectam multitudinem, ad villam ſuam medio itinere divertiſſe, nec recedentem neceſſariorum defectum vel penuriam accuſâſſe, nec magis illis vel cibum vel potum, aliaqve qvibus indigerent, defutura, unius veſperis noctisqve ſpatio. Rex fide majora pollicentem exploraturum ſe affirmat; qvippe ſegregem hanc domum familiamqve, ruſticæ per ſpeciam conditionis documentum præturam. Lætus honoris acceſſione ruſticus, eqvis ephippiis frænisqve detractis, eum cum omni comitatu in villam introductum, epularum tanto apparatu excepit, ut ſplendidiſſimis conviviis, inqviſitiſſimis ferculis, potionisqve diverſis, longoqve tempore anxiè comparatis, generibus abundatiſſimis, vel dubiam palmam ipſe imparatus relinqveret, vel penitus eriperet. Nec impenſiore benevolentiæ affectu alias exceptus ſibi

Rex videbatur; nec, ubi magi placeret, divertiſſe: nam tam reconditæ ſapientiæ convivator apparuit, ut ad omnia interrogata aptiſſimè reſponderet, nec eſſet qvæſtio propoſita, qvam non extempore, magnâ verborum ſvavitate, ſummo cum Regis miniſtrorumqve oblectamento, dilueret. Inde communi hoſpitum calculo ſapiens vir judicatus perhibetur. Ab epulis in multam noctem protractis Rex cum ſatellitum agmine cubitum deductus, vix ſomno animum relaxaverat, cum intenſum ſubitumqve frigus, qvo omnium corpora membraqve rigebant, concuſſis dentibus, dormientibus ſomnum abrumperet: tantaqve vis fuit, ut omnes lectis exſilientes, plures veſtes nocturnas in ſubſidium colligerent, præter Regem & duodecim athletas, qvi veneficam algoris vim incredibili fortitudine & heroicâ patientiâ eludentes; oblatas arcendo frigori veſtes repulerunt. Luce matutinâ hoſpes qvæſivit, ſatisne commodè noctem tranſegiſſent? cumqve Bödvar ex animi ſententiâ transactam affirmâſſet; an veſtium ſatis ſuppetiſſet ad repellen-

dum

ſum frigus, qvod villam ſæpius infeſtare
onſveviſſet, rogavit. Rex abundè ſibi
onſultum ait; fuiſſe tamen qvi gelu ſe
lus nimium aduri qveſti eſſent. Imbel-
pecus, indignumqve tanti Regis comi-
tu, reſpondit colonus, oneri & dedecori
turum, cum virtutis experimenta in
lâ Regis Adelſis edenda forent, ubi vel
llies acrioris frigoris patientia reqvire-
tur: rectè igitur, ſe ſvaſore, facturum,
dimidiam turbam; tanqvam inutilem
toqve ſatellitio probroſam, domum
nitteret. Aſſenſit Rex coloni, ſibi
am proprio Regi amicioris, conſilio;
uctoratisqve qvinqve decuriis, do-
mqve remiſſis, cæptum iter perſeqvi-
Exiguum ſpatium emenſi, ad aliam
m pervenientes, eundem Ruſticum
foribus ſtantem, benignis verbis ſe
pellantem, cauſamqve iterati reditus
entem, agnoſcunt. Rex miratus,
ieri poſſit, ut eò, unde receſſerant,
n redirent, ſuſpectam ſibi callidita-
ſtumqve illius, meritoqve dolorum
ectum, videri, pronunciabat. Ille

omnibus denuò ad hoſpitium invitatis, impetravit, ut iterum ad ſe diverterent. Lautiſſimè excepti exqviſitis eduliis, variisqve ſcitamentis propoſitis, epulabantur. Per noctem vero excitati, ardentibus ſiti faucibus propè enecati, plures lectis exſurgentes, offenſo vaſe vino repleto, vinum avidè hauriebant, ſitimqve reſtingvebant. Summo mane ſurgentem Regem aggreſſus hoſpes monuit, minuendum inſuper comitum numerum, diſplicere ſibi milites, pellendæ ſitis gratiâ nocturnis etiam temporibus potum reqvirentes, ignominioſos in aulâ Adelſis Regis futuros, glorioſam cæteroqvin expeditionem ingloriam reddituros; longe graviores labores in aula Adelſiana exantlandos; ſcenæ illius præludiis exercitationes haſce non poſſe comparari. His dictis exorta repentè tempeſtas, prærepta ulterioris itineris facultate, diem ibi tertiam divertere compulit. Nihil ad exhilarandos animos pertinens defuit; nihil ex cæptâ convivii magnificentiâ remiſſum eſt. Eqvis pabula abundanter ſuffi-

ci-

ɛta ſunt, eqvitibus epulæ, pari ut antea curâ, præbitæ. Ad veſperam ſedibus circa focum collocatis, ſingulos cum applicuiſſet, accenſo foco, pabuloqve in nutrimentum flammæ largiter præbito, to- domus, tanqvam incendio proxima, deò incaluit, ut corpora aſſidentium prope tabeſcerent: omnes igitur exceptis ſo- Rege pugilumqve dodecade, ſedibus ſurgentes egreſſi ſunt. Tum Hranius: m ſolis illis, qvi æſtûs patientes remant, tutò ad Regem Adelſem accedes, edesqve: reliqvos omnes, etiam Berkos, domum mittito, qvippe impares to examini. Rex, collaudato ruſtico, tantaqve eum ſapientiæ ſuæ documenhoſpitibus dediſſe ait, ut ab ejus conſirecedere temerarium ducat. Remis- gitur omnibus aliis in patriam, ſolos letas retinuit. Interea Adels de itinerivigni certior factus, gratum ſibi ipſi adventum præfatus eſt, immortali memoriâ nobilitandum.

CAP.

CAP. XXII.

Regis Adelſis aulæ Hrolfus magnâ cum pompà adeqvitat. Foſſas ipſe & Athletæ ſuperant. Ignem tranſiliunt. Vöggus Hrolfo Krakii cognomen indit. Armillam ab eo accipit. Adels hoſpites incendio opprimere ſtatuit, fruſtratur. Canis Hrolfi cum apro pugnat. Eum ſuperat. Accipiter item ejus Adelſianos vitâ privat.

Pugilibus itaqve ſolis ſtipatus Rex, ruſtico amiciſſimè valere juſſo, rurſus profectus ad aulam Adelſis, lento primum gradu, pro recepto illius ſeculi

pro

roceribus more (etiamnum in Islandiâ ntiqviſſimæ, honeſtæ tamen, ſed indif-rentis, conſvetudinis, tenaciſſimâ, ob-rvato) mox ſubditis eqvis calcaribus, tato curſu, obviis viâ cedere compulſis, perbè adeqvitat. Ornatum veſtium, morum pompam, corporum habitum, vorum pernicitatem, robur, ſtaturam, aleras, ephippia, cæteraqve ornamen- accipitrumqve decus (qvorum ſinguli gulorum humeris inſidebant: inter os Regius, Häbrok dictus, poëtarum minibus celebratiſſimus, ſuiqve gene- pretioſiſſimus, eminebat) ſpectatum ıſa univerſa civitas, omnes feneſtras ſpectui idoneas, tabulata, turresqve & nia compleverat. Obviam, qvi ex-rent, miſſi, magno procedentes co-atu, debitâ Regem reverentiâ ad au- deducunt. Aderant famuli, Sveci lem illi, qvibus eqvorum excipien-ım cura mandata; qvos Bodvar mo-, ut diligenter cuſtoditos, jubis cau-ve qvo ſitu acciperent, redderent, luto ſordibusqve aſpergi ullo modo ent. Qvod ubi Adels percepit, in-

gentis

gentis faſtûs indicium interpretatus, caudis jubisq; præſectis, frontaliqve pelle nudatos, omniqve ludibrii genere fædatos, qvoad diſcederent cuſtodiri juſſit, abeuntibusqve ad ludibrium ſiſti. Ad portas aulæ perventum eſt, nec tamen accedenti Hrolfo Adels obviam honoris causâ procedere, nec eos qvi ad ſe deducerent ablegare dignatus, intra parietes domeſticos delituit: qviqve ad invitandum pridem miſſi, eò usqve illos deduxerant, omnes jam dilapſi ſolos hoſpites reliqverunt. Svipdagus ſibi pridem hujus palatii ſitum cognitum ait; convenire itaqve ut præcedentem reliqvi omnes ſeqventur: verùm Regem aliis in ordine permiſtum incedere, ne internoſceretur oportere. Ingreſſus igitur Svipdagus longè aliò ordine qvàm cum diſcederet conclavia, triclinia, cubilia, adeoqve omnem priſtinum ſitum, deprehendit jamqve area latisſimis foſſis interſtincta acceſſum ad ſolium Regium impeditiſſimum reddebat: qvi nihilo ſecius ſaltu ſingulas cum ſuperâſſent, haut exiguum virium ſuarum documentum dederunt.

Hau

Haut digna ſunt relatione, qvæ fabulis ſuper hac expeditione magis interſperſa, ſiiqve repugnantia, qvam incorruptis reum monumentis tradita ſunt. Etenim delſem ad duodecim advenas tollendos ſidiis opus habuiſſe, nec aperto Marte, ec inſidiis occidere potuiſſe, multos voqve ſuorum ab iis impunè occidi pasm eſſe, qvis credat? experimenta forudinis eorum, famâ tunc temporis dentatiſſimæ, capere voluiſſe, plauſibiliest. Immiſſis, qvos aulæa abſcondirant, ſicariis, primum examen inſtitum memoratur; qvorum tamen vim, n modò repreſſerant, ſed damnum coatumqve facinus in ipſos auctores reſerunt. Adels autem omnem à ſe ſuſpinem amoliturus, ſuis gaviter increpa- Regem cum ſatellitibus ad convivium itavit. Circa focum ſellis omnes inſidet Hrolfi milites, ſine tamen conſveto ine, id temporis ê compoſito confuſo, ulcandi Regis causâ, ne ab Adelſe innoſceretur. Svipdagus cum fratriprincipem occupârat locum, iis proximus

ximus Hialtius Generoſus, reliqviqve ordine aſſidebant, Bodvar Regis latus, ubi viſum erat, clauſit. E regione Adels cum ſuis conſidebat; qvi cum magno deſiderio privigni internoſcendi teneretur, artibus opus eſſe ratus eſt, qvibus tam anxiè occultatus in apricum duceretur: ingentem igitur flammam æſtusqve foco excitandos curavit, qvorum pugiles Rege ipſo patientiores futuros conjectabat, indicium à communi Regem ab æſtu defendendi ſtudio capturus, ſimulqve fortitudinem ſingulorum, qvam invictam prius deprehendit, hoc inſuper Vulcanio experimento exploraturus, verbis etiam ad exitialem patientiæ perſeverantiam accendere conatus: famam, inqvit, vos, Hrolfiani pugiles, veſtram toto Arctoï orbis circulo ſparſiſſe fateor, nihil vero minus de vobis eam finxiſſe, qvam reverâ eſt; nec diffiteor, vobis veſtra præconia nota eſſe; tanto enim faſtu inflati videmini, ut præ vobis omnes, etiam fortiſſimum & robuſtiſſimum qvemqve, alto ſupercilio contemnatis.

addite

addite igni larga nutrimenta; nam relatum eſt, voto ſe Regem, vosq; ejus exemplo, obſtrinxiſſe, nec incendium, nec ferrum unqvam fugituros. Imperavitqve miniſtris, ut in focum prodigaliter ligna conjicerent. Athletæ qvorſum tenderet, conſpientes, objectu clypeorum Regem, qvantum poterant, diſſimulanter tamen, ne proderetur, texerunt. Ut verò miniſterio famulantium, pabula aggerentium, flammas non pro foci modulo, ſed ad rogi magnitudinem, excreviſſe, ardorisqve vehementiam Adelſem Regem cum conſeſſoribus, ſellis remotis, fugâſſe comperiebant. Tum Rex: aut voti religio nobis impiè & turpiter deſerenda, aut nosmet incendio comburendos ad necem usqve præbere oportet: verum ſuppetit ratio, qvâ utrumqve ſummo cum decore declinemus. Ne autem viderentur æqvè atqve Adels imbecilles, æſtum eòusqve perpeſſi ſunt, dum veſtes ſemiuſtulatæ uſum tegendorum corporum ulterius præſtare non poſſent, torresqve ſcintillantes paſſim decidentes eos obruerent. Tum verò Bodvar; qvin

ſoco alia, inqvit, inſuper pabula proſpicimus, domumqve Adelſis nobilitamus? arreptumqve miniſtrantium unum in ignem conjecit: imitati factum Svipdagus & Beigadus, & Hialtius Generoſus, pluresqve primatum, ſingulos qvisqve focum inſtruentium in ignem præcipitatos, exurendos reliqverunt, Rex conjecto in flammam clypeo, dum tranſiliret incendium ſopivit; exclamansqve ait: haut eqvidem ignem fugit, qvi tranſit: qvem ſinguli ſecuti eodem commento funeſtum incendium ruptiqve voti infamiam evaſerunt, Obſtupuit ut flammas eluſiſſe viderat Adels, cavatæqve columnæ ligneæ ſe immiſit; inde veneficis artibus tectus ad Reginam accedens, amicis eam verbis affatus eſt: qvæ irarum æſtum minimè temperans, injurias in ſe ſuosqve acerbis verbis improperat, minitans, ſe qvâvis data occaſione Hrolfo adverſus Adelſem opem laturam, donec ille prædam petitam, hic æternum dedecus, reportaret: filiumqve accedens, maximo caritatis ſtudio complexa, in diverſorium ſplendidiſſimum cum ſatellitibus deduxit, ſubmi-

niſtra-

niſtratisqve famulis, dapes & opipara fercula, potionisqve varia genera appoſuit, Inter famulantes qvidam, nomine Voggus, ſtaturæ proceritatem, habitumqve Regis, faciei decus, vultusqve gratiam intuitus primùm, deniqve miratus: Ecqvis, qvæſo, inqvit, Krakius (truncum vertit Saxo, puſionem Magnus Olafius in Verſione Eddæ, cornicem Stephanius) ſolium occupat? Rex: cognomen, inqvit, mihi indidiſti, qvod qvoad vivam geſturus ſum: donum verò comitari ſolitum qvid affers? illud verò ſibi, utpote homini pauperi, non ſuppetere cum regeſſiſſet; par eſt igitur, inqvit Rex ut qvi abundat, donet; ſimulqve armillam brachio detractam muneri dedit. Lætus admodum Voggus temerariæ compellationis tam felici ſucceſſu; omnium, inqvit, Regum feliciſſimus dederis, nam cimelium longè pretioſiſſimum donâſti. Rex donum tantâ alacritate plauſuqve exceptum ut vidit; Parvo Voggus gaudet, inqviebat, qvod dictum in proverbium poſtea abiit. Voggus Regiam munificentiam, donumqve ipſum debitis extu-

 liſſ-

liſſe laudibus haut contentus, altero pede trabe calcatâ: Eqvidem, inqvit, religioſiſſimè voveo, qvod ſi fata me tibi ſuperſtitem ſervaverint, humanoqve conſilio vel operâ, ſive vi, ſive dolo occubueris, necis tuæ & ſtrenuum & fidelem ultorem me futurum. Rex intrepidè qvidem voviſſe affirmat; alios tamen propinqviores, qvos illa cauſſa tangat, extare. Hunc hominem, licet non magna in re, fidei tamen plenum, ipſorumqve ſalutis conſervandæ ſtudioſum cum obſervaret, tutò & ex animi ſentiâ inter ſe collocuti ſunt, atqve inter cætera Voggus refert: Adelſem præter modum exemplumqve Pythicis artibus deditum eſſe; aprum enim colere, cui nec mole nec ferociâ ullus par eſſet. Inde ſomno ſe qvisqve dederunt, nec prius excitantur, qvam immani fragore concuſſam domum, velut jamjam lapſuram, ſentiunt. Hîc Voggus, Appropinqvat, inqvit, aper, illatæ Regi ignominiæ ultor; cui reſiſtere ſupra humanas vires eſſe compertum eſt. Erat Hrolfo canis, nomine Gramus, robore pollens, ferociâ inſignis; hunc Bod-

var

var adverſus aprum concitat: nec mora, velut jurati hoſtes hi duo in certamen prorumunt. Sed nec otioſus ſpectator Bodvar, cani, qvâ poſſet ratione, ſuppetias laturus, in medium apri tergum enſem vibravit, ſed fruſtra: major enim vis veneficæ artis feram armaverat, qvam ut ferro lædi poſſet, Jamqve in tantum generoſi canis rabies excrevit, ut aures unâ cum genis hoſti morſu abrumperet; qvi eveſtigio terrâ abſorptus nusqvam inde comparuit. His peractis Adels iteratâ jam vice incendium advenis parans, magno ſuorum numero comitatus advenit. domus undiqvaqve flammam concipit; nec omnimodis ignium fomentis parcitur. Bodvar intra hoſtilia tecta incendio vitam claudere, mortem eſſe minimè honorificam ait, nec dignam formidato toto jam diu Arctoo orbe Rege: qvod ſi optio daretur, malle ſe aperto campo pugnantem in mediis hoſtium copiis fortirer occumbere, qvam nullo edito ſub diſceſſum inſigni virtutis ſpecimine, incendiariis hiſce in prædam cedere. Invenit nobilis viri virtus conſilium viamqve ig-

nominioſam mortem effugiendi: namqve eo ſvaſore ſuo qvisqve loco parietibus magno conamine, magno niſu, effractis, in coopertas armato milite plateas impigrè proruperunt. Fit ſtrages, domeſticis undiq; occumbentibus, Hrolſo qvoqve & athletis validius longè qvam ulla de tam exiguo numero ſpes polliceretur, impugnantibus. Hæc dum geruntur, Häbrök Regius accipiter (cujus antea mentionem fecimus) ovanti ſimilis advolat, tandemqve qvaſi partâ victoriâ lætus humero Domini conſedit. Miratus cuſtos, ad locum ubi accipitres ſervabantur, illicô ſe recepit. Cumqve Adelſianos omnes morti datos, Hrolſianos verò nuſqvam conſpiceret; novo pavore perculſus majorem in modum obſtupuit. Interea plurimis urbanorum peremtis, qvi reliqvi erant, vitam pacemqve Hrolſum ſupplices poſtulabant, atqve ab èo impetrabant. Hic finis pugnæ, hic exitus inſidioſi impiiqve conaminis erat. His ita feliciter geſtis, victor Hrolfus cum ſuis aulam audacter ingreditur, interrogatusqve à Bodvare, qvam ſedem ipſe eligere vellet?

Solium, inqvit, Regium occupabimus, viresq;, qviete & potionib⁹ generoſis refecti, colligemus. Non adfuit Adels, ſed curarum ſtimulis vexatus, irarumqve rapidiſſimo æſtu fluctuans, damnum ſibi illatum ægerrimè ferens anxiè reputavit, ultionem tanti dedecoris in poſterum meditatus. Nec longo poſt tempore Hialtius fortè monuit, mittendos qvi viderent, numqvid eqvis ipſorum pabuli aut curæ neceſſariæ deeſſet: Dictum factum: vident eqvos peſſimè tractatos, miſereq; mutilatos. Qvod cum Regi nunciaretur, parum commotus tantùm reſpondit: Adelſem hoſpites hoſpitumqve jumenta pari ratione accipere; itaqve omnia illius facta ad unum fermè eundemqve ſcopum collineare.

CAP. XXIII.

Hrolfo Regina Mater pretioſa munera, & armillam, Sviagris dictam, donat.

 nat.

nat. Diſcrimen in campis Fyrenſibus. Hrolfi ſtrategema. ipſe in Daniam revertitur. Oblatam à ſene armaturam abnuit, ejus offenſam incurrit. Redux in regnum bellis abſtinet.

Tandem Regina ſuperveniens, ſalutato filio, de injuriis mariti qveſta, diſceſſum ſvadet, ſubmonetqve, totâ jam Svecia exercitus evocari, faviſſe jam fortunam, nec eſſe qvod novum vitæ diſcrimen expectando, præſentiſſimo periculo ſeſe exponant. Deinde cornu auro gemmisqve ingentis, nec facile æſtimabilis, pretii repletum, præter cæteram theſaurorum immodicam vim, filio obtulit. Duodecim deinde eqvi, rubro colore, inter qvos unus albus eminebat, illâ jubente exhibebantur; albus ille

ille Regi vehendo delectus: Singuli verò inter omnes Adelſis longè optimi, loricisqve ab ictu telorum immunibus tecti, veſtes etiam pretioſæ, qvales aulicus ſplendor ad magnificentiam luxumqve poſcebat; nam qvas antea gerebant, ignis penè conſumſit. Rex autem à matre qvæſivit, an tantas opes reddidiſſet, qvantas jure expoſceret? paterqve moriens reliqverit? illa longè majoris pretii redditas referebat: inter qvas una tantùm armilla Regia, Sviagris dicta (qvaſi Svecorum porcus, pluris illis omnibus æſtimaretur.) Filium materno deinde amore complexa, lachrymisqve proſecuta, monuit, inſidias ſtructas qvam accuratiſſimè caveret; reſtare adhuc experimentum, dubii qvidem eventûs, immortalis autem gloriæ, vel luctuoſi exitûs, monumentum. Rex bono eam eſſe animo jubet, Voggoqve magno auri pondere donato, in eqvum inſilivit, omnibusqve Athletis comitantibus receſſit. Ad campos Fyrenſes deventum eſt, cum mediâ viâ diſperſam armillam auream ſcintillantem deprehendit: Et

hæc, inqvit, ſolitaria mæret; qvin ſociam, ſolamen orbitatis, adjicimus; aliamqve in viam projiciens: fama, inqvit, minimè nos deferet, aurum in viâ projectum collegiſſe; neqve ullus arripere tentet; nobis enim retardandis & in inſidias inducendis objectum eſt. Nec mora, illicò tubarum clangor undiqve auditus manipulos in inſidiis collocatos excivit. Secutæ à tergo cohortes militum, Hrolfo cum Athletis cæptum iter, absqve ullo trepidationis aut fugæ ſigno, maturantibus, inſtabant. Bodvar, ut eqvos laxatis habenis effuſo curſu properare conſpexit, eſſe qvi colloqvium expeterent, affirmavit. Hrolfus correpto cornu, qvod mater, cum ſupremum vale diceret, dederat, copiam auri egeſtam mediâ ſparſit viâ; qvod ut miles inſeqvens cognovit, avaritiam Adelſis, ſibi hanc prædam, ſi intermitteretur, ſoli reſervaturi, tum etiam occaſionis actutum dilapſuræ oportunitatem, conſiderans, à periculosâ fortiſſimorum virorum inſectatione, ad prædam ſecurius colligendam converſus eſt. Præſtitit

ea

ea mora magnam elabendi facultatem: nam & inter illos, cum ſibi qvisqve rapere contenderet, ortæ rixæ in prælium deſiverunt; qvos inter præliandum cum ſuperveniens Adels deprehenderet, valde increpatos ad inſectandos hoſtes avertit; ipſe ne qvis auri cupidine detinere ſe permitteret, omnes præceſſit, cumqve pernici eqvo veheretur, Hrolſo ſuorum primus valdè appropinqvavit, qvi ſtatim armillam Sviagris è theſauro tanqvam offam projicit, qvam ut ſolo jacentem cognovit Adels, veritus ne ab aliis ſublata in ſuam poſſeſſionem nunqvam rediret; Tibi, inqvit, ô Hrolſe, qvam mihi fidelior erat, qvæ hoc tibi cimelium tradidit; ne verò mihi abſtuliſſe gaudeat, non amplius de poſſeſſione illius periclitabor: incurvansqve corpus, haſtâ dum decrevit attollere; ſuperveniens Hrolfus, ut inclinatum viderat, En inqvit, inſtar porci incurvavi illum, qvi inter Svecos opulentiſſimus eſt; alludens ad nomen armillæ à porcis deſumtum: nec mora, ſtricto gladio Scofnungo, omnium qvos

Septen-

Septentrio unqvam vidit, acutiſſimo; clunes ei præcidit: &, Vale, inqvit, meæqve expeditionis hoc perpetuum monutum ſerva; qvem huc usqve anxiè internoſcere voluiſti Hrolfum Krakium conſpicis, atqve ita ſublatâ prius armillâ citato curſu ad ſuos ſe recepit. Adelſem egeſtus e vulnere ſangvis à perſeqvendis hoſtibus cum impediret, ſui domum deduxere. Multi eo conflictu ex iis qvi Hrolfum & pugiles propius accedere auſi ſunt, ceciderunt. Omni ſeculo expeditio hæc celebratiſſima fuit: inde materiam poëtæ arripuerunt aurum Krakii ſeminium vocitandi, qvod is campos Fyrenſes auro ſeverit. Nec horum Saxo ignarus, ubi Adelſem tollendæ pecuniæ gratiâ pronum demiſſumqve Rolvo conſpicatus eſſet, propriis proſtratum muneribus riſiſſe, perindè ac cupidè repetentem qvod callidè tribuiſſet, refert. Id qvod Snorrius Sturlæus, adductâ in teſtimonium Skiöllldungorum hiſtoriâ, confirmat, ubiHrolfum campos Fyrenſes auro conſeviſſe perhibet. Tradit tamen Saxo, licet

cet alio tenore, æs auro oblitum ad illum uſum reſervatum, ſparſum eſſe; qvod licet magis credibile ſit, poetis tamen eam materiam ad aurum applicandam non præbuiſſet, neqve æra tam variæ formæ adeò citò cudi potuiſſe videntur, niſi fortè Regina hæc omnia longo tempore præmeditata, ad ſecuritatem filii annulos, monilia, & torqves inauratos effingi curaverat: qvod autem filium comitata furtim è Svecia profugerit, licet Saxo majori veriſimilitudine tradat, Chronica tamen Norvegica, eam in Svecia ad finem usqve vitæ reginam fuiſſe perhibent. Poſtqvam inſultus Svecorum repreſſit Hrolfus, ſecurus usqve ad veſperam, nemine interpellante, profectus eſt; donec ad villam eandem, ubi prius hoſpitio excepti fuerant, ſene præ foribus ſtante, pervenit: qvi reducibus gratulatus, ſibi etiam gaudebat, qvod omnia dictis ſuis reſpondiſſe cognoviſſet. Qvò vero propenſum in Regem ſtudium magis teſtaretur, armaturam artificii pereximii, loricâ, gladio, & ſcuto conſtantem, munus offert. Rex, laudato munere,

nere,recipere tamen noluit. Diſplicuit ſeni muneris repulſa,contemtumqve ſui interpretatus, nec eos perindè prudentes eſſe ac ipſi opinarentur, dictitabat; nec amplius detinere ſuſtinens, dimiſit. Parum proceſſerant, cum Bodvar converſo eqvo Regem exſpectabat, ſerôqve nimis ſapuiſſe teſtatus; valde enim erratum, ſene, munus offerente, repulſo: Odinum namqve fuiſſe, victorias cum armaturâ offerentem, qvarum felicitatem jam abnuiſſent. Rex idem ſibi in animum veniſſe confesſus eſt, eò qvod fuerit unoculus, talem enim Odinum fuiſſe, tam hiſtoriæ qvam fabulæ, poëtarumqve carmina perhibent. Tum Svipdagus, ut redirent, hortatus eſt. Verùm poſtqvam diu retrogreſſi eſſent, neqve alicubi villam, neqve ſenem, nec horum veſtigium cernere dabatur. Rex incaſſum ſe eum inqviſiturum pronunciavit, cum eſſet malus ſpiritus. Inde profecti non prius conſtiterunt, qvàm in Daniam perveniſſent: nec aliqvid porrò in intinere memoratu dignum notatum conſtat. Auxit hoc Svedicum iter Hrolfi famam, antea qvidem inclytam,

in

iu tantum, ut nullis poſtea ſeculis obliterari potuerit, vaniſqve hominibus frivolis his, qvæ retulimus, effingendis materiam præbuerit. Verùm redux in regnum non ut prius bellis gerendis animum applicuit, ſvaſore Bodvare, qvòd fortunam Règis poſt Odinum offenſum ſuſpectam haberet, tutiusqve rato ſub partæ ingentis famæ præſidio latere, cum nemo impetere auſit, qvam adverſis Diis pugnando diſpendium pati, unde hoſtibus vel malè pacatis Regibus audacia ad bellum etiam ultrò inferendum creſceret; longam præterea vitam ſe magis Regi ab illo tempore optare teſtatus eſt, qvam polliceri. Rex terminum vitæ à fortunâ, non verò à maligno illo ſpiritu pendere, regeſſit. Expeditionis Svedicæ cauſam Eddæ Mythologia LXIV. pretium auxilii Adelſi à privigno ſuo Hrolfo lati, adverſus Alium Uplandarum Regem ex pacto non perſolutum, adducit, lectu digniſſima.

CAP.

CAP. XXIV.

Skulda maritum Hiorvardum adverſus Hrolfum concitat. Tributorum per triennium immunitatem impetrat. Magorum veneficarumq́ magnam vim congregat. Bellum aſtutè præparat.

Poſtqvam è Sveciâ rediit Hrolfus, intra Regni terminos cum Athletis ſe continuit; neminem laceſſivit, ſed partâ gloriâ,iis opibus, iis imperii finibus, qvos antea conſtituit, contentus vixit. Nec erant qvi potentiſſimi Regis qvietem turbare auderent: Reges in obſeqvio manebant, & tributa, ut ſolebant, pendebant, unde omnium rerum affluentia, pacis comes, ſecuta eſt. Complures anni hoc tenore fluxerunt. Skulda verò ſagacis animi fæmina, ut vidit Hrolfum, fortiſſimarum

rum

rum gentium robore & opibus ſuffultum, ſtipatumqve incomparabilium militum ſatellitio, militiæ nihilominus ſtudia, contra qvàm à teneris conſveverat, ſecuro permutâſſe otio; tantæ mutationis cauſſam cæpit altius perpendere; qvam non ab ingenio immenſæ gloriæ & imperii proferendi cupido provenire ratiocinabatur; fortunam illi ſuſpectam eſſe, qvam amplius experiri vel irritare vereretur. Maritum igitur aggreſſa exponit, qvàm iniqvo animo tributi à fratre nullo jure indicti conditionem ferat, ſervitutis naturam, penſionis onus, non libertatem, redolere; hanc tamen ſibi à patre parem cum fratre relictam; qvam cum illibatam tueri frater, invitante naturâ, teneretur, eripere tamen, nullâ offensâ irritante, ſuſtinuerit: nec ſubjectionem illam bello, ſed violatione fæderum, conſangvinitatis, affinitatis, amicitiæ, jurisqve hoſpitalis, qvæſitam: hortatur itaqve, ut ſe in libertatem, cum primùm occaſio daretur, vindicaret: ignavos homines etiam tutiſſima qvæqve formidare; neqve ſi reliqva Regulorum cohors potentiam

Hrolfi invictam æſtimet, ideò inexpugnabilem eſſe; Unum reliqvis ducem ſe præbere oportere; an de nihilo eſſe credat, qvod familiaria militiæ ſtudia jamdiu intermiſerit? an inſatiabilem gloriæ, opum, finiumqve dilatandorum cupidinem moderationis legibus ſe ſubmiſiſſe arbitretur? longè aliam ſubeſſe cauſam diſcat; nimirum fortunam, qvam reverentèr habere neſciverit, ab eo receſſiſſe; cumqve hoc illum non fugiat, prudenter moderationis & publicæ ſecuritatis titulum prætendi. Igitur, qvo facilius optatæ libertatis compos fieri poſſit, nihil præcipitandum; petendam à Rege in triennium tributorum dilationem, qvam haut gravatè conceſſurum ſciat; interea copias undiq; colligendas, Regulos ſollicitandos, & ſpecie penſionum carpenta & currus, milite & armis onuſtos invehendos, qvi improviſos & nihil hoſtile metuentes adoriantur, præmium audaciæ, non modo immunitatem, ſed & omnium regnorum fratris ſui acceſſionem, non tantum jure belli, ſed etiam hæreditatis, futurum. Talibus dictis maritum ad prodi-

tio-

tionem moliendam incitavit; nec diſtulerunt legatos ad Regem mittere, pro vectigalium induciis impetrandis; qvorum petitis Rex libenter annuit. Fuit Skulda omnium ſui temporis veneficarum facile princeps; à genere materno illud, qvod humani ingenii captum fugit, præclarè edocta; ſi iis qvæ de origine ipſius antiqvitas credidit, fides tribuenda eſt. Intermedio tempore, qvotqvot exſecrandarum, ſed id temporis licitarum, artium peritiſſimos vel ipſa cognovit, vel famâ percepit, undiqve collegit: qvorum operâ conjuratio tanto temporis ſpatio occultè per incrementa ſerpſit, ne unqvam ad Regis vel conſiliariorum aures perveniret: Inſtrumenta interim ad deſtinata perficienda neceſſaria, ſagæ, milites, armatura, commeatus, currus atqve adeò omnia magno apparatu conqviruntur, Hleidargardumqve (Lethram) transferuntur.

CAP. XXV.

Hiorvardus & Skulda à Hrolfo ſplendido convi-

vio excipiuntur. Eorum inſidiæ deteguntur. Athletarum nomina. Cum Hiorvardianis congreſſus. Biarkii artes. Skuldæ veneficia. Hrolfus & Hiorvardus earumq; copiæ mutuâ intenrecione ſternuntur. De Skeggio Midfiordenſi relatio. De gladio Skofnungo, & Hrolfi Krakii poſthumâ famâ.

Feſtum Jolenſe Regio luxu celebrandum imminebat; undiqve magnates invitati confluxerunt; & in his Hiorvardus Regis affinis cum Skuldâ præſto erat. Saxo intra mænia receptos, convivioqve adhibitos, refert: id qvod ne-

noſtrorum traditioni adverſatur, licet illud omiſerint; nam tantùm excitos tentoriis milites oppidum coronâ cinxiſſe memorant. Utrumqve conſiſtere poteſt. Nihil ènim impedit, qvo minus Hiorvardum & Skuldam Rex convivalis impenſæ deliciis, ut Saxo loqvitur, proſecutus fuerit, magnâ parte comitatûs eorum intra mænia, imò inter palatia, receptâ; qvi autem in tentoriis delituerunt, non prius ptodire poterant, qvam ſignum eſſet datum, ne intempeſtivâ eruptione inſidias proderent. Igitut qvi Hiorvardo miniſtrâruut, eumqve in convivium ſecuti ſunt, noctu cubilibus dilapſi regiam forſan petiverunt, reliqvis militibus per apertas portas intromiſſis: qvocunqve modo inſidiæ in apertum tandem certamen eruperint, pro certo conſtat omnes Athletas in aciem prodiiſſe, editâqve ingenti ſtrage ad ultimum unà cum Rege ſuo occubuiſſe. Verùm cum in qvibusdam noſter ſcriptor à Saxone diſſentiat, placet ea adſcribere, non eâ intentione ut hoc vel illud magis probem, cujus mihi nulla certa

 no-

notitia. Primus Hialtius Regiâ excedens intra tentoria Skuldæ conditum militem obſervâſſe memoratur: ne tamen rem non ſatis compertam referret, vel pavoris indicia proderet, diſſimulato periculo ad pellicis (ſua enim ſingulis Athletis pellex erat) thalamum proceſſit; qvam à complexu diſcedens ſciſcitabatur, utrum duos, ſingulos duos & viginti annos natos, an unum octogenarium mallet? duos juvenes uni ſilicernio præferentem admorſo naſo mutilavit; proviſurum confeſſus, ne formæ decus rixis jurgio & cædibus in poſterum anſam præberet. Illa truculentiam qveſta nihil aliud reſponſi accepit, qvàm fatum inſtans etiam ad ea adigere, qvæ aliàs nunqvam decreta eſſent. Inde ingreſſus ad Regem, ubi campos omnes milite coöpertos viderat, monet adeſſe ſororem, tributa tam diu dilata noviſſimè penſaturam: totam Regiam à milite circumſeſſam: planitiem armatis refertam: hortatur deinde milites, ut intrepidè pro Rege latera ſua hoſtium gladiis objiciant, memores beneficiorum, qvæ hac occaſione qvam re-

ctiſſi-

ctiſſimè rependi poſſint: prodigia qvidem multa, ſed neglecta, præceſſiſſe, hanc ultimam ipſis noctem futuram portendentia: providendum ne inulti moriantur; nec incruentam victoriam, rebellibus proditoribus, non juſtis hoſtibus, relinqvant. Neqve Hrolfus neqve ſatellites idolorum cultui unqvam deditі fuiſſe traduntur; vires corporis, & inſita animi fortitudo, ſingulis numen erat. Nomina verò duodecim Athletarum hæc referuntur: Hromundus Durus. Hrolfus Sagittarius. Svipdagus. Beigadus. Hvitſerkus. Haklangus Acer. Hardrefill. Hakius Vegetus. Vottus Magnus. Storolfus. Hialtios Generoſus, & Bodvar Biarkius: (Biarcho Saxoni.) illud cognomen ei inditum eſt poſtqvam aulam Hrolfi ingreſſus eſt, eò qvod omnes illius Berſerkos expulerit, qvosdam etiam vitâ privârit, cum ipſi admodum impares, faſtu tamen elatiores eſſent. Rex, ut præſens periculum inſtare animadvertit, loco mirâ alacritate exſiliit; non tanqvam ad vitæ diſcrimen aut certiſſimam mortem,

 ſed

ſed ſplendidum convivium iturus: En, inqvit, nunciate Hiorvardo, nos prius genio indulturos, poſtea certa ipſis virtutis noſtræ indicia relicturos. Atqve his dictis ad epulas & convivium revocatos ſatellites magnâ feſtivitate excepit. Inde in prælium itum: ingens ubiqve edita ſtrages. Rex ipſe in medias turmas invectus dignam faſtigio ſuo pugnam edidit. duodecim eum virorum robore præditum, ipſi Athletæ teſtabantur. Et jam Hiorvardiani paulum retrocedere cæperunt; nam viſus eſt Regem qvoqvò ſe verteret immanis urſus præcedere, qvi obvios omnes pedibus contrivit, adeò ut cominus accedere ſinguli vererentur. Athletæ interea in medios hoſtium manipulos facto globo irruunt. Sternuntur ab utroqve latere Hiorvardianæ copiæ, qvoad univerſa acies inclinaret. Tum Hialtius Bodvarem Biarkium prælio exeſſe deprehendens, valdè indignatus, apud Regem de tanti herois ignaviâ qveritur, qvi præter morem jam ſe ex acie ſubduxerit, ſummo diſcrimine inſtante. Rex

neqva-

neqvaqvam culpandum aſſerit; ſe enim ipſius virtutis tot documenta habere, ut certus ſit, ubicunqve ſe contineat, majore id fieri ſuâ ſuorumqve utilitate, qvam ſi præſens in acie ſtaret. Negat itaqve interpellandum. Non acqvievit Hialtius monitis Regis, ſed digreſſus è bello ad inqvirendum Biarkium in Regiam tendit: ubi cum otioſum offendiſſet, cùm merita in eum Regis, tum propriæ virtutis, eo tenus invictæ, fiduciam novâ inertiâ mutatam, & commilitonum ſpem exprobravit. Ingemiſcens igitur Bodvar, illico ſurrexit: expoſitâqve facinorum ſuorum Iliade, conſtare ait, nullâ ſe formidine teneri, neqve enim ignem vel arma unqvam fugiſſe, nec invictum Agnaris Berſerki, (apographum habet Angantyris, fortè incuriâ librarii) ejusdemqve Regis, robur manus ſuas effugiſſe: prodeſſe jam ipſi (Hialtio) arctum ſocietatis nexum; aliàs neminem, præter ſolum Regem, impunè ſe exciturum fuiſſe: verùm neqvaqvam tam utilem qvam fidelem eum Regi ſuo operam hac provocatione præſtitiſſe; nam eò rem reda-

 ctam.

ctam, ut de eventu pugnæ dubitandum foret, ni intempeſtivâ interpellatione ſe turbâſſet: jam verò hoſtium cadavera fortitudinis ſuæ teſtes habiturum; qvanqvam longè minus eos catervatim ſternendo, qvâm intra Regiæ parietes pro tempore deliteſcendo, ſe profecturum ſciat. Hialtius errorem confeſſus, obcæcari homines, qvos fata urgent, reſpondit. His dictis in aciem ſe uterqve confert. Id egerat Bodvar qvod aliàs nunqvam; nam cum eſſet res cum iis hoſtibus, qvi non virtute, ſed præſtigiis & incantamentis bellum gererent, occupavit prius harum artium certamen, virtutem ſociorum ſoli numero hoſtium, non item malis Dæmonibus, oppoſiturus, tantumqve profecit, ut non ſolùm omnem veneficarum vim eluderet, ſed etiam urſi ſimulachrum ad defenſionem Regis incantamentis exciret, qvod plures hoſtium proſternere viſum eſt, qvam Rex cum omnibus pugilibus. Verùm poſtqvam accitu Hialtii in pugnam progreſſus eſt, nullus amplius urſus Regem præcedere viſus eſt. Tunc primùm Skulda

cum

cum incantatricum collegio in unum tentorium, colore nigrum, congregato, artes non absqve fructu exercere cæpit. Editus locus, theatri inſtar, pro more erectus erat; ibi ritus & cerimoniæ, qvæ ad id reqvirebantur, celebratæ ſunt. Viſus inde frendens aper exercitum Hiorvardi præcedere, nec minorem ſtragem edere qvam urſus, qvi Hrolfum prius tutatus eſt. Tantis præſtigiis à parte Hiorvardi certatum eſt, ut qvi gladiis Hrolfianorum occubuerant, redivivi pugnare viderentur. Id Hialtio qveſtus Biarkius memorat Hiorvardum Regem in acie ſibi obvium lethali ſe vulnere ſauciâſſe; ſe verò pedem manumqve ei abſcidiſſe, ictumqve inflixiſſe, qvo humerus latusqve diffiſſa ſint, exanimemqve ad ultimum cecidiſſe viſum: jam verò redivivum inter confertiſſimos pugnam reſtituere: ſe verò fruſtra tot millia cædere, cum loco unius, qvem in Orcum mittat, três iterum redivivi ſe impetant, feriantqve. Atqve hic ſenſus eſt Saxonis, dum hanc hiſtoriam è carminibus

pri-

priſcis, qvæ Biarkamäl nuncupantur, metricè vertit his verbis:

Non memini certamen agi, qvo promtius eſſet
Alternare enſes, partiriqve ictibus ictus.
Dans unum tres accipio: ſic mutua Gothi
Vulnera compenſant: ſic dextra potentior hoſtis
Vindicat acceptam cumulato fœnore pœnam.

Senſum carminis priſci minus aſſecutus videtur; qvi in hac hiſtoriâ, licet carmen interierit, tamen accuratè expoſitus eſt. Johannes Gothus hiſtoriæ Sveo-Gothicæ Lib. II. cap. XXII. hæc ad gentis Danicæ ſugillationem more ſuo transtulit. Verum hæc, qvæ exponimus, tradunt, qvod Biarkius vim Dæmoniacam agnoſcens, Odinum tantorum prodigiorum auctorem prædicaverit: qvem idcirco inqvirens, ſi offerretur aut appareret, non unô mortis genere ſe affecturum minatus

natus ſit: qvod ſi virtute, non magicâ vi certatum animadvertiſſet, non utiqve Odino hoſtium fortitudinem imputâſſet. Confirmat conjecturam Saxonis carmine comprehenſa relatio, variis doctiſſimorum virorum commentariis illuſtrata, clariſſimiq; Stephanii Notis in Saxonem, pag. 78, ad pag. 37. lin. 41 & ſeqq. inſerta. Carminis initium ita ſonat:

Adde oculum propius, & noſtras proſpice chelas,
Ante ſacraturus victrici lumina ſigno,
Si vis præſentem tutò cognoſcere Martem.

Tum Biarcho:

Si potero horrendum Friggæ ſpectare maritum. &c.

Cætera non perſeqvar; cum conſtet etiam ex Saxone omnes editâ memorabili pugna ad unum occubuiſſe; atqve adeò ad mortem obſtinatos, ut nemo Regi ſuperſtes eſſe ſuſtinuerit. In eo tamen memoriæ noſtræ diſſentiunt, qvòd cum Saxo Hiorvardum Hrolfo ſuperfu-

iſſe tradat; iſtæ acie occubuiſſe memorent: Skuldamqve exiguo tempore in imperium & opes fratris ſucceſſiſſe; nec felicius adminiſtrâſſe. Nam poſt exiguum tempus Elgfrodius & Thorer Canipes Veſtro-Gothiæ Rex cum ingentibus copiis in Daniam profecti, ſe cum Voggo duce exercitûs, qvem Regina Yrſa è Sveciâ ſub auſpiciis (ut videtur) filii ſui Eyſteini Sveciæ Regis, miſerat, conjunxerunt: Skuldamqve ex improviſo, anteqvam ad notas artes confugiendi copia foret, adorti, captivam duxerunt, variisqve ſuppliciorum generibus affectam morte mulctârunt, occiſis qvotqvot ab ejus partibus ſtare comperiebant, Regnumqve filiabus Hrolfi reſtituerunt: qvibus verò poſtea nupſerint, nusqvam invenio literis proditum. Diviſum fuiſſe regnum conſtat, nam in Scaniâ regnabat Haraldus Grandævus Halfdani Strenui pater, Ivaris Vidfamii avus, & Gudriödus frater ejus, & qvidam nomine Hakius, alibi in Daniâ Frodius Sextus Hrærcki Slaungvanbaugii avus. Sialandiam tenuit Hreidar, & qvi eum occidit Hiór-

lei-

leiſus Mulieroſus. Alibi regnârunt Eyſteinus & Sölviusde Niardeya. Jutiam tenuit Heidrekus Ulfshamus· Conſentaneum tamen eſt, eas qvibusdam ex his matrimonio junctas fuiſſe. Diſcretis tumulis Rex, ſinguliqve Athletæ conditi huic ſcriptori dicuntur, qvod tamen cum Hiſtoriâ Thordi Hredæ & Landnamâ non conſiſtit; ſic enim narrant. Vir qvidam Islandus, nomine Skeggius, de provinciâ Midfiordenſis dictus, cum ab expeditione piraticâ e mari Balthico in Daniam rediiſſet, ad tumulum Hrolfi Krakii aperiendum ſe contulit, ſubiitqve, & conſpexit ſingulos ſellis inſidentes, gladiis accinctos, omniqve armaturâ conſpicuos: nec ultra aggredi auſus, ad adulandi artem ſe contulit, promittens Regi famam ejus ſe diſperſurum, laudumqve præconia latè celebraturum. Creditum eſt, mortuos non ſolum poſſe mutuas audire & reddere voces, ſed etiam laudum & poſthumæ famæ cupidine duci; idqvod Hrolfus ſuo exemplo comprobâſſe viſus eſt: nam gladium Skofnung

Skeg-

Skeggio porrexit, qvem ille muneris loco ſummâ cum alacritate accepit. Inde ad Bodvarem converſus, enſem qvoqve ejus Löfium appetivit; qvi torvo illum aſpectu deterruit, inſurgere paratus. Verùm Hrolfo defenſore non ſolùm tutus evaſit, ſed etiam Hialtii ſecuri magnâqve opum vi potitus exivit. Fidem facit relationi ipſius Skeggii in exponendo moderatio, cum tanti facinoris gloriam ſuis viribus non adſcripſerit: ſecus ambitionis ſuſpicione non cariturus. Confirmat qvoqve diuturna gladii poſſeſſio, qvo qvamdiu vixit, uſus eſt. Venenatus erat; capuloqve, qvemadmodum de Achillis perhibent, abditum antidotum, Laxdæla vivum lapidem appellat; qvo vulnera ab illo inflicta, cæteroqvin omnem curam reſpuentia, ægritudine repentè ſopita, ſanabantur. Cautiones in illo tractando obſervandæ erant; ne à ſolis radiis capulus unqvam illuſtraretur; nec præſentibus fæminis educeretur; Evaginatus, ſangvine propitiaretur: id qvod Skeggius adeò anxiè obſervavit, ut cum ſemel adverſus in-

inſignem athletam Thordum Hredam, ad hoſpitem qvendam, nomine Thorhallum, diverſantem, cum haut paucis armatis moveret, auxiliisqve affluentibus, & interveniente compoſitione propoſito fruſtraretur, gladium, qvem in caſſum eduxerat, præciſo capite infidi Thorhalli, qvi hoſpitem Thordum qvantum in hoſtem proditurus erat, ipſius ſangvine roraret. Eundem etiam filius ejus Eidus, à cognitione juris juridicus dictus, poſt mortem patris geſſit, Thorkeliqve Ejulfi filio, Arii Polyhiſtoris proavo, eum ad occidendum Grimum qvemdam de Kroppio, ob cædem filii ejusdem Eili exulem, donavit: qvi exulem qvidem uno vulnere ſautiavit, ſed viribus ejus ſuccubuit, donatusqve vitâ, adhibitâ latente ſub capulo medicinâ, eum ſanavit. Ad ultimum cum in ſinu Breidafiordenſi naufragio periret, gladius tranſtro alligatus cum ſcapha ad inſulam qvandam expulſus nomen ei de ſuo indidit, qvo Köfnungsey in poſterum hodieqve uſurpatur. Poſt mortem Thorkelis ad filium ejus Gellerem gladii poſſeſſio pervenit. Is

M pri-

primum in Norvegiam navigans Sanctum Olafum altera vice filium ejus Regem Magnum bonum adiit, & inter alia magnifica munera 12 uncias auri ab eo accepit: Cumqve in Islandiâ ad ſenectutem usqve remanſiſſet, tandem in Norvegiam profectus, inde Romam ad Apoſtolorum limina, in reditu in Daniâ longo morbo affectus, poſt adhibita æternæ ſalutis media, Roſchildæ conditus eſt. Illuc ſecum Sköfnungum devexerat, nec ejus recuperandi copia poſtea hæredibus ejus unqvam facta eſt. Atq; ita in Daniam, unde avectus erat, reſtitutus, apud gentem illam remanſit. Hrolfi Krakii memoria ad omnem poſteritatem celebris, in aulâ etiam Granmaris Sudurmanniæ in Sveciâ Regis, reculta legitur; cum ipſius filia Hildegunna in convivio ſplendidiſſimo, aſſumto cratere argenteo, meroqve repleto Hiörvardum Regem acceſſit, propinavitqve ei ejusqve comitibus, hac verborum formulâ: Avete omnes Ylfingi: memoriæ Hrolfii Krakii dicatum eſto. Refert etiam hiſtoria S. Olafi Norvegiæ Regis, eum, cum qværere-

reretur, qvemnam ethnicorum Regum potiſſimum imitari vellet? reſpondiſſe: nec ſe Regum, nec hominum ullum à vero Dei cultu alienum, ſectaturum; ſi tamen aliqvem, ſalvâ Chriſtianâ religione, mores certè & magnificentiam Hrolfi Krakii æmulari velle. Unde apparet, qvàm celebre Regis Hrolfi nomen, qvàmqve proſpera ejus fama & poſthuma memoria omni Seculo viguerit.

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

Accipitrum certamen. pag. 150.
Adels Sveciæ Rex 43. Yrſam ſibi matrimonio jungit 43. Regem Helgium dolo interimit. 51. Adelſis elogium 35. Qvomodo Hrolſum Krakium exceperit. 142. ſeq. fuit Pythicisartibus deditus 148. Hrolfi in campis Fyrenſibus ſtrategemate ſuperatur. 155.
Agnar Hroaris filius 26.
Agnares plures ibidem.
Anglo-Saxonum cum Hroare & Helgio Synchroniſmus 26. ſeq.
Angli Danorum auſpiciis olim pugnarunt 29.
In Angliâ ſuos fiduciarios habuerunt Reges Daniæ 28.
Apparis, vid. Præfat:
Armillâ unâ dimidium Daniæ permutatum 22.
Ars Seidica ſeu incantatoria 11.

Augn

Augn Nordrii Regis Filia Hroari nubit 22.

Athletarum Hrolfi Krakii numerus, nomina & ordo 167. Mors 173.

B.

Bera Bödvaris Biarkii mater 80. Biörno Regis Hringi filio in Juventâ familiaris ibid. cum eo diris devoto conſveſcit 83. ad epulum urſinum à Reginâ Hvita adigitur 90. Tres filios,&ex his duos monſtroſos,parit 91.

Berſerkorum deſcriptio 49.

Berſerkorum Adelſis cum Svipdago pugnæ variæ 58. ſeq.

Berſerkorum Hrolfi Krakii inſolentia à Bodvare Biarkio repreſſa. 129.

Biörnus Biarkii pater 77. à noverca ad inceſtum ſollicitatur 82. Conſtantisſimè renuit ibid. Diris devotus in urſum tranformatur 83. cum Bera in antro conſveſcit 83. Eam futura edocet. 87. Capitur & occiditur 88.

Bödvaris Biarkii genus. 77. Nativitas. 91. De Hvitâ venefica ultionem ſumit 102. Ejus cum fratre Elg-

frodio colloqvium 106. Hauſto ex ſurâ pedis ejus liqvore corroboratur 107. V. Præf. In Gothiâ pro fratre abſente excipitur 109. Satellitio regis Hrolfi ſe adjungit 114. Hottum liberat 115. Lamiam transfigit 122. Berſerkos ſuperat 129. Regem ad iter in Sveciam hortatur 132. Incendio fortitèr erumpit 150. Ejus in ultimo prælio artes 169. Vitæ ejus epilogus à Saxone metrice verſus 171. ſeqq.

C.

Cænacula priſcorum Regum qvalia 12.

Cibum denegare olim magnatibus inhoneſtum. 8.

D.

Daniam falsò ſugillat Joh Gothus 172. vid. & Præfat.

Daniæ Regum fiduciarii erant olim Angli 28.

Drifa Regis Hrolfi filia Bodvari Biarchio in matrimonium data 131.

E.

Ellgfrodius naſcitur 91. à matre diſcedit 91,

92. Latrocinium exercet 93. ſeqq. Fratrem Thorerem ut exceperit 94. Bodvarem Biarchium liqvore ex ſurâ pedis ſui corroborat 107. V. Præf.
Expeditionis Svecicæ Hrolfi Krakii cauſa & celebritas 159.

F.

Frodius Qvartus. 1.
Frodius Qvintus 2. fratrem Halfdanum ſcelerate opprimit ibid. Ejus liberos ad necem qværit ibid & ſeqq. Virilis artibus eluditur 5. 6. & ſeqq. Veneficam ad eos prodendos conducit 11. iterum fruſtratur 12. in convivio, auſpice Reigino debitas parricidii pœnas luet 18.
In Fyrenſibus campis Hrolfi Krakii cum Adelſe congreſſus & Strategema 152. ſeq.

G.

Generoſi cognomen Hialtio à Krakio inditum, & qvare 131.
Gothorum ritus priſcus in rege creando 96. Gladium alterius ſervare qvando ſubjectionis nota 75.

Gladius Bodvaris qvomodo tractandus. v. Loſius.
Gullinhialtius enſis 126.

H.

Habrök regius accipiter 141.
Hela, antiqvorum Proſerpina 16.
Halfdanus ſecundus à fratre Fròdio qvinto ſceleratè opprimitur 2.
Heidis celebris incantatrix à Frodio Qvinto conducta, 11. ejus ars Seidica ibid. ſeqq.
Helgius & Hroar ad necem qværuntur, 2 ſeq. artibus Virſilis abſconduntur 4. ſeq. nomina mutant 8. Sævarem comitem accedunt ibid. genus diſſimulant 9. Dementiam ſimulant ibid. de Frodio parricidii pænas ſumunt 18.
Helgius ſolus Daniæ imperat 22. Olufam Superbam uxorem poſcit 30. ab illâ indignè tractatur 32. eam arte circumventam opprimit 46. Yrſam filiam uxorem ducit 39. eam dimittit 42. Skuldam gignit 46. V. Præf.

In Sveciam proficiſcitur 48. Dolo Adelſi interficitur 51.
Hroaris indoles 21. Is Augnem Nordrii Regis filiam uxorem ducit 23. Regnum cum fratre permutat ibid.
Hleidargardus ſev Lethra 74.
Hringus Uplandarum Rex 77. Ejus ſecundæ nuptiæ 79. Ejus filius Biornus vid. Biornus.
Hrokus Sævaris filius 22. Ejus indoles ibid. Hroarem & Helgium de armillâ ſollicitat 23. Repulſam patitur ibid. eam perdit 24. Pede truncatur ibid. capitur & ſupplicium luet 25.
Hottus à Bodvare liberatus 115. Hialtii nomen aſſumit 126.
Hranius Krakium hoſpitio excipit ac variis modis exercet 135. ſeq. Qvisnam ille fuerit 158.
HROLFUS KRAKIUS naſcitur 39. ejus mores ac elogium 69. legationem in Sveciam parat 73. Hleidargardum inſtaurat 74. Hiorvardum aſtu ſubjugat ibid. ejus moderatio 117. 127. 130. in Sveciam proficiſcitur 134. à Hranio in viâ cum comitatu excipitur

pitur & variis modis exercetur 135. ſeq. aulæ Adelſis pompoſè adeqvitat 141. pompæ deſcriptio ibid. Vulcanium experimentum eludit ac ignem tranſiliit 148. Ejus in campis Fyrenſibus diſcrimen & ſtrategema 154. ſeq. poſthuma fama celeberrima 177.

Hvita Regis Hringi Regina 79. ejus in privignum diræ 82. Condignum ſupplicium de ea ſumtum 102.

I.

Ingialldus Starkadi alumnus 1.

Iver Widfadmius 28.

Incendio perit Frodius Qvintus 18.

Incendium effugiunt Hrolfus & athletæ 150.

K.

Krakius v. Hrolfus Krakius.

Lethra. v. Hleidargardus.

Lovius Bodvaris anſis deſcribitur 104.

Lamia à Bodvare transfixa 122. qvid & qvalis illa fuerit. v. præf.

Nor-

N.

Nordrius Northumbriæ Rex 21. Ejus filia Augn Hroari nubit 22.

O.

S. Olafi de Hrolfo Krakio teſtimonium 177.

Olufa Superba Saxoniæ Regina 30. ab Helgio in matrimonium poſcitur ibid. illum indigne tractat 32. ab illo deinde opprimitur 36. Yrſam parit 37. Indigne eam educat ibid. à thalamo Helgii ſeparat 41.

R.

Regum Angliæ qvorundam cum Daniæ Synchroniſmus 26. ſeq. Reges Daniæ olim Anglos habuere fiduciarios. 28.

Reiginus Helgii & Hroaris nutritius 2. eos ad ultionem ſtimulat 15. ejus auſpiciis de Frodio Qvinto pæna ſumta 22.

Reigini Logogryphus 17.

De

S.

De Saxicolis vid. præf.
Sævar Comes Hroaris,&Helgii tutor 3 ſeq. moritur 22.
Saxonis cum hac hiſtoriâ harmonia 19. ſeq. 156.
Seidica ars incantatoria 11.
Søfneprpn qvid 32.
Skuldæ monſtroſus ortus 45. ſeq. De eo Judicium vid: in præfat. ea maritum Hiorvardum adverſus Hrolfum concitat 160. Bellum præparat aſtu maximô 163. ejus inſidiæ deteguntur 166. Suppliciis malè multata perit 174.
Sköfnungi deſcriptio 156.
Svipus & ejus filii 54.
Svipdagus in aulam Adelſis admittitur 57. ejus cum Berſerkis pugnæ variæ 58. ſeq. earum exitus 66. cum fratribus ſatellitio Hrolfi inſcribitur 71.

T.

Thorer Canipes naſcitur 91. à fratre Elgfrodio qvomodo exceptus 94. ſeq. Rex Gothiæ ſtaturæ beneficio creatur 97.

Wal-

V.

Waltherus hujus hiſtoriæ author. v. Præf.
Virſill abſtruſarum artium ſcientiſſimus 4. ejus in abſcondendis pueris calliditas 4. 5. & 6.
Voggus HrolfoKrakii cognomen imponit & præmium accipit 147. ejus votum 148.

Y.

Yrſa naſcitur 37. à matre Olufa Superba ignominiosè educatur 38. ab Helgio patre abducitur, eiqve nubit 39. ab eo disjungitur 42. in Adelſis thalamum tranſit 44. filio varia donat 152.

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

Dn. THORMODO TORFÆO,

S. R. M. Rerum Norvegicarum Hiſtoriographo, Antiqvitatum Septentrionalium Vindici feliciſſimo,

Inter complura Antiqvitatum Monumenta HROLFI KRAKII Hiſtoriam Latine edenti,

ita applaudit

Thorlefus Haltorius Isl.

Sic decet exanimes vitâ donare triumphos,
Nominaq; infauſto penè ſepulta rogo,

Pri-

Priſca triumphales ſtimularunt pectora laudes
Qvæ famæ rabidâ deperiere fame,
Perſvaſit cumulos variorum mille laborum
Gloria, in extremos ambitioſa rogos,
Qveis non Herculeis auſis, qvo ſangvine fuſo
Emiſti nomen, Dania noſtra, Tuum?
Et qvid ſollicitus monumenta exemplaq; tentem?
Totius numeri KRAKIUS inſtar erit,
Ille tuos qvondam proceres caput extulit inter
Dania, dum melius non tibi numen erat,
Ille animos cœlo famamq; æqvaverat orbi
Et decus & ſplendor temporis ipſe fui.
Sed qvæ multa dies per plurima plauſtra laborum
Condignis meritis nomen ad aſtra tulit,
Multa dies iterum miſerando funere merſit
Et caries tanti roſerat acta viri.
At tuus invenit calamus, THORMODE, medelam
Auſpiciis cujus KRAKIA fama ſtabit;
Te ſine, qvam variis deluſerit artibus ipſe
Flamma vorax HROLFI nomine paſta foret,
Te ſine clauſa arvis & ceſpite tecta Fyrenſi
Magnanimi Regis fortia geſta latent
Qvas tibi, ſi noſſet, vellet depromere grates
KRAKIUS, auſpiciis qvi viget usq; tuis?
Crede mihi laus eſt famæ: temereq; puſillus
Nominis impoſiti præmia Voggus habet
SKEGGIUS accepit promiſſæ munera famæ
Hacq; qvod non tulerat viribus, arte tulit.

Præmia ſed fatis prohibetur reddere iniqvis
KRAKIUS; à grata poſteritate feres.
Regificum cingat munus tibi brachia Vogge
Eximium fabricæ nobilioris opus;
Delia ſed cingat THORMODI tempora laurus
Et doctum circa ludat amœna caput.
Sit bene! Schöfnungi ſervet de nomine nomen
Inſula, cæruleis fluctibus apta qvati.
At mea THORMODI jactet ſe nomine Thule
Qvod peſſum nunqvam fluctus & unda dabunt.
Concelebret merito THORMODUM doctior Orbis
Patronum agnoſcant rudera priſca ſuum.

Errores.

Præf. fol. 6, pro Areſum lege Areſium. Præf. fol. 7. lege ex verecundia. Præf. fol. 12. pro conſverunt l. conſveverunt. Præf. fol. 13. pro præterite l. præterire. Pag. 1. lin. 7. pro qverit l. qværit. p. 2. l. 12. pro Deum l. eum. lin. 19. pro Halfdaniana l. Halfdanina lin. 23. pro ſigna l. ſignia. P. 4. l. 19. leg. & prope. P. 6. l. 13. lege ſalve Rex. P. 17 l. 20. poſt animadvertit l. Et jam ignem parietes conceperant. P. 26. l. 6. pro plutima l. plurima. lin. 16. pro ſint l. ſunt. P. 29. l. 5 pro merentur. l. meretur. P. 31. l. 18. pro nuptiorum l. nuptiarum. P. 40. l. 25. pro celere l. celare. P. 47. l. 22. l. ſe exempturam. P. 50. l. 16. pro decurſu l. co-

l. occurſu. P. 54. l. 11. l. jam provectæ ætatis. P. 61 l. 19. l. in ultionem. P. 70. l. 3. poſt formidabilem l. ſceleratis implacabilem. P. 79. l 6. pro declararuri l. declaraturi. P. 81. l. 6. pro obtinebatur l. obtinuit. P. 84. l. 10. pro perecrebuit l. percrebuit. lin. 19. l. ſeqvitur. P. 87. l. 16. pro adolever intintractabiles l. adoleverint intractabiles. P. 96. l. 19. poſt conſiliis l. inſtruxit. P. 101. l. 7. l. itaq; & ætati. P. 111. l. 1. poſt recuſandis muneribus l. & honoribus. P. 112. l. 17. pro interrogans deinde ruſticus l. interrogatus deinde à ruſtico p. 114. l. 23. poſt ſubſumſit l. Bodvar. P. 116. l. ult. pro exitum l. exitium. P. 124. l. 7. poſt longiore mora l. inaniq; disqviſitione ſtaretne ac currer... P. 125. l. 1. poſt ingenium l. ſibi. P. 136. l. 1. pro magi l. magis. P. 146. l. 20. pro improperat l. improperabat. P. 158. l. 11. poſt felicitatem l. & curſum conſtantem. l. 22. pro conſtiterunt l. ſubſtiterunt. P. 161. l. 11. poſt vereretur l. concluſit. P. 164. l. 7. pro ærorumq; l. eorumq;. P. 175. l. 10. poſt Skeggius l. de provincia Midfiordo cui præfuit. P. 176. l. 15. poſt capuloq; l. ejus.

Hi ſunt præcipui errores, qvi Authore longè diſſito, vel Correctoris vel Typographi incuriâ irrepsêre, qvos ideo emendare dignetur Benevolus Lector.

Hic liber eſt impreſſus Authoris ſumptibus atq; impenſis.